Index

1. Duodi Andre. - De habitibus intellectus libri sex Venez. 1577.
2. Tritonii M. Antonii Mythologia. - Bonc. 1560. -

[illegible]

[illegible]
[illegible] 1877
[illegible]

ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBRI SEX.

Ad Ampliſſimum ac Religioſiſſimum Virum Ioannem Grimanum

PATRIARCHAM AQVILEIAE.



VENETIIS, M D LXXVII.

Apud Dominicum Nicolinum.



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
VIRO IOANNI GRIMANO
AQVILEIAE PATRIARCHAE
AMPLISSIMO;

Andreas Duodus Francisci F.
S. P. D.





ERITATEM adeo hominis propriam humanęq; conditioni adeo accomodatam existimarunt Academici omnes, vt sine ea hominem, nec iure hominem, nec mentis compotem iudicandum censuerint; ex quo euenire putandum

eſt, vt quodam naturæ inſtinctu, internaque animi commotione, tunc nos maxima iniuria affici, notaq; turpis ignominiæ fœdari cenſeamus, dum quòd mentiamur, quòd abſit à vero verbum, quòd longè diſtemus à vero, nobis obijci audimus. Et, quoniam mentiri datum eſt homini, cum verbo, tum opera; propterea quò opera verbo præfertur, eò mentiri opera deterius cenſeri debet, quàm mentiri verbo. Ex duplici hoc mendaciorum genere, quàm magna, quàmq; perniciosa detrimenta ſequantur, facile cognoſcere licet, ſi mente reuoluimus ex his quaſi ſeminibus in Chriſtiana Republica falſos Prophetas, mentitos Chriſticolas, diſſimulatosq; Paſtores ortum ducere; in Republica vero ciuili viros illos prodire, qui extrinſecus ſenatorum habitu ſunt induti, intus vero ſunt infames Tyranni, pernicioſiq; ciues. Propterea nitendum pro facultate eſt, vt verbo, & opera veri ſimus, vt externa reſpondeant internis, vt ab omni mendaciorum forma longè diſtemus, quod feliciſſimè conſequemur; ſi animum congruentibus virtutum habiti-

bus

bus decorabimus; quorum recta ratione quasi regula exactissima in omni actione, effectione, ac iudicio, verum strenuè seruare, mendaciumq; omne procul repellere, ac profligare valebimus; Hac regia via, rectaq; ratione, tu vir Amplissime, & Religiosissime, te omni veritatis splendore fulgere indicasti: ingenuis nanque animi habitibus honestatus, plura præstas opera, quàm pollicearis verbo, verior re, quàm nomine tibi commissi gregis es Pastor, magis intus quàm extra candidus, & innocens. Propterea omni dignitatis, amplitudinisq; gradu te adeo dignum patefacis, vt tu potius illis perfectioni, quàm illi sint tibi splendori, & ornamento. Hos itaq; ego de humanæ mentis habitibus libros, tanquam animi mei primos fœtus, sub felici disciplina Francisci Piccolominei Philosophi præclarissimi conceptos, cum edere decreuissem, iure eos tibi dicandos, consecrandosq; censui, non solum quia teneor tibi, vt Religionis Antistiti, vt concivi, affiniq; officiosissimo, vt Patrono colendissimo, studiorum meorum rationem reddere;

dere; verum etiam quia ipso iure eos tibi vendicare videris; cum illustrioribus animi habitibus decoratus, & Vrbi, & Orbi adeo splendide fulgeas, vt ipsi sua sponte ad te tanquam imperfecti ad perfectionem, mortui ad vitam, mobiles ad constantiam, & demum tanquam tenebricosi ad lucem properent, ac confugiant, ita nanq; se diu viuere incolumesq; seruari posse optime sperant. Vale Patauio VI. Id. Maij. 1577.



CLAVDII ANCANTHERI.






Nte diem hæc, prima vix ſub lanugine malæ
Hæc iuuenum, decus eximium, generoſa propago,
Pandere mens potuit, ſacrosq; inuiſere montes?
Montes, quos nulli, quidquam, niſi plurima virtus,
Canaq; conſurgens ſeris prudentia in annis
Spondet, iterq; aperit, & magno munere diuum,
Dat ſuperare iuga, & facili dehinc tramite ſiſtit.
Ingenium cæleſte tibi vt non firmior ætas,
Eminet, & radios veluti per nubila Titan
Fundit, & in medio certat ſe prodere cælo:
Non ſecus exeritur ſolida vi, lapſa polo mens,
Impatiens reſidere ſitu, ferugineq; omni
Pura & cælicolas, cognataq; lumina quærit.


Tu,

Tu, quid enim studio recolens, & pectore, tandem
Cecropiaq; Dea, Phœboq; es digna locutus?
Scilicet ætherei pennis sublatus amoris,
Inter odorata & lauro nemora alta, perenni
Qua ver flore nitet, liquidisq; recentia riuis
Prata virent, placidas inter sedesq; beatas
Stellantis sophiæ, aßiduus per amœna vireta,
Et circumuolitans casiamq;, crocumq; rubentem,
Inde satur, flauum potuisti emittere nectar,
Aeternaq; animos dulcedine, certe futuri,
Pascere, vt extendas clara tua nomina fama.
Promeritis nulli cessurus honoribus olim.
Quare erit illa dies, generis spes altera tanti
Maxima, cum fortunatißimus vnus obibis
Europæ lata imperia, eloquioq;, superbos
Et reges, populosq; tuo, admirande tenebis
Et responsa feres, sperataq; gaudia lætis
Patribus, amplexu patriæ excipiendus ouantis.
Macte annis genus Heroum, pars vna senatus:
Spe maiora tibi, felix denunciat æther.



Quo niteat cultu diuinæ mentis imago,
Hoc scriptis aperis maxime Duode tuis
At generis sors alta tui est; Mars arma parenti,
Corq; tibi, & fratri docta Mineruа dedit.

Pauli




PAVLI AICARDI.



ORIFLVAE *ille dies olim qui sidera nocti*
Eripiet fulgentia, libros
Idem de medio poterit tibi tollere, Duodc
Conscriptos docte, & sapienter:
Complexus quibus es naturæ arcana fugacis,
Et vitæ præcepta beatæ
Plurima persimilem queis nostra instructa Deorum
Mens sueuit traducere vitam.
O te felicem, qui nondum egressus ephebos,
Et malas implumis adhuc, iam
Peruenisti quò vix longo tempore multi
Et sudore senes potuere.

INCERTI AVCTORIS.

Ἠ ̈ἰθέων ἄνθος, Σοφίην πινυτόφρονα ἀσκοῦν,
Παντοδαπάς τ' ἀρετάς, ἄμμιγα τῶν χαρίτων.
Ἐκπάγλοις μύθοις, αὐτῷ κλέως ἄφθιτον ἔσαι,
Ἀγλαόν οὗ, ἕρπει στέμμα πέριξ πλοκάμους.
Ἦ ῥά σε θρεψάμενον, ἱερόν τέκος, ὤπασε Παλλάς
Τῇ γνώμῃ, ἰδ' μῆς ἔμπλεον ἀμβροσίης.



INDEX OMNIVM CAPITVM,

QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Capita Primi Libri.



Ntentio nec non ratio intentionis. Cap.1. Pag.1.

Genera duo habituum animi declarantur. Cap.2. pag. 4

Diuisio habituum intellectus. cap. 3 pag.6

Quomodo Habitus intellectus poßint dici semper recti vel veri. cap. 4 pag. 7

De instrumentariis Habitibus ad quem expotioribus redigantur. cap. 5 pag. 13

Quid sint Habitus intellectus. cap. 6 pag. [illegible]

Proponuntur dubia nonnulla [illegible]

cap.7.

cap.7 pag.15
Quomodo inter se distinguantur habitus intellectus. cap.8 pag.17
De Habituum distinctione opinio propria. cap.9. pag.19
Solutio rationũ alterius opinionis. cap.10. pag.13
Quomodo & vnde Habitus dicatur vnus opiniones variæ, & instantiæ aduersus eas. cap.11. pag.5
Opinio Propria. cap.12. pag.9
In qua animi parte insint ac seruentur habitus intellectus opiniones aliorum. cap.13. pag.31
In quo sint habitus intellectus ex sententia Aristotelis. cap.14 pag.74

Capita Secundi Libri.

Comparantur inter se habitus intellectus. cap.1. pag.38
Quid sit intelligentia & in quo versetur. cap.2. pag.41
Quomodo in nobis insit intelligentiæ habitus opinio Platonis. cap.3 pag.43
Reijcitur opinio Platonis. cap.4 pag.45

Soluuntur rationes aduersæ & explicatur quomodo poßimus dicere primorum principiorum cognitionem nobis per naturam conuenire. cap.5 pag.47
Quæ sint principia prima complexa. cap.6. pag.51
Quomodo Dignitates à nobis cognoscãtur. cap.7. pag.54
An axiomata ingrediantur demonstrationem. cap.8 pag.57
Opiniones nonnullæ referuntur, & in dubium vertuntur. cap.9 pag.60
Resolutio difficultatis. cap.10 pag.63
Soluuntur rationes aduersæ. cap.11 pag.66

Capita tertij libri.

De sapientia & primo de nominis significationibus. cap.1 pag.70
De sapientia diuina. cap.2. pag.73
De sapientia intelligentiarum. cap.3 pag.77
Dubia nonnulla, & solutiones. cap.4 pag.79
De humana sapientia uniuersè considerata. cap.5 pag.83
In quo versetur humana sapientia. cap.6. pag.85

Dubia

Dubia nonnulla ac eorum ſolutiones. cap. 7. pag. 87
Quæ cauſarum genera à metaphyſico conſiderentur. cap. 8 pag. 92
Dubia nonnulla, & ſolutiones. cap. 9. pag. 93
Vtrum metaphyſica ſibi cæteras ſcientias ſubalternet ac de ſubaltetnatione opinio prima. cap. 10 pag. 96
De ſubalternatione opinio ſecũda. cap. 11. pag. 98
De ſubalternatione opinio propria. cap. 12. pa. 101.

Capita quarti libri.

Enumeratio ſcientiarum. cap. 1. pag. 105
An Mathematica ſit pars Philoſophiæ. cap. 2 pag. 108
Quas cauſas conſideret mathematicus. cap. 3 pag. 109
Quæ ſit materia mathematicorum opinio Alberti. cap. 4 pag. 112
Euerſio huius opinionis. cap. 5 pag. 114
Opinio propria. cap. 6 pag. 117
An mathematicæ mediæ ſint magis Phyſicæ, vel magis mathematicæ. cap. 7 pag. 120

De

De naturali scientia in quo versetur. ca.8. p.124
Diuisio naturalis Philosophiæ. cap.9 pag.127
De communibus attinentibus ad naturalem philosophiam. cap.10 pag.130
Ordo seruatus ab Aristotele in declaratione principiorum causarum & elementorum. cap.11. pag.134
Ordo seruatus in explicatione communium effectionum. cap.12 pag.137

Capita quinti libri.

Quid sit prudentia. cap. 1 pag.141
De diuisione prudentiæ. cap.2 pag.144
Comparatio partium prudentiæ inter se. cap. 3 pag. 147
An prudentia sit vniuersa virtus ad mores pertinens. cap.4 pag.151
Quæ pertineant ad prudentiam. cap.5. pag.154
Ex quibus principijs oriatur prudentia. cap.6. pag.156
Dubia nonnulla ad prudentiam pertinentia. cap.7 pag.159
Num prudentia, vel sapientia potius principatum

tum obtineat. cap.8 pag.163
Fructus,& utilitates prudentiæ. cap.9. pag.166


Capita sexti libri.

De significatione nominis artis eiusdemque definitione. cap.1 pag.169
De actione,& effectione. cap.2 pag.172
Nonnulla colliguntur ad actionem, & effectionem pertinentia. cap.3 pag.175
De nonnullis artium diuersionibus. cap.4. p.178
Vtrum ars vtatur consilio. cap.5 pag.181
An ars sit præstantior quàm natura. cap.6. pag.103
Resolutio difficultatis. cap.7 pag.185
Vtrum Ars valeat efficere substantiam. cap.8. pag.188
Quot,& quæ sint artes ingenuæ,& quæ viles,& sordidæ. cap.9 pag.191

FINIS.

Potiora errata ſic corrigito.

Pagina 3. linea 3. rectæque, lege rectèq;. 9 linea 24. ſubiiciuntur, lege ſubijciantur, 14. linea 15. patuit, lege patebit, 38. linea 2. inducitur, lege induitur, 40 linea 6. Ariſtoeles, lege Ariſtoteles. 41 linea 29. à Sapientia, lege ab Intelligentia, 43. linea 30. primorumque, lege primarumque 54. linea 34. Philoſophorum, lege Philoſophus, 55. linea 27. dignitatem reſulgent, lege dignitas reſulget, 64. linea 12. potuerunt, lege poterunt, 112. linea 2. inde, lege vnde, 124. linea 13. Demeritus, lege Democritus, 125. linea 23. nobis.n.otius, lege nobis notius, 126. linea 12. notionis, lege notioris, 148. linea 32. explicatur, lege explicatur, 149. linea 18. Philoſopho, lege Philoſophos, 152. linea 27. aliqno, lege aliquo, 155. linea 21. conſtitutiouem, lege conſtitutionem, 157. linea 53. motibus, lege moribus, 180. linea 15. opns, lege opus, 184. linea 5. autem, lege Artem, 190. linea 5. magis, lege Magus, 190. linea 11. naturæ, lege Natura, 191. linea 19. reddit reddit, lege reddit, 192. linea 15. vt, lege vel, 192. linea 20. iuncta, lege cuncta, 194. linea prima. ardire, lege ordine, 194. linea 19. ſuperna, lege ſuperno.



ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBER PRIMVS.



Intentio necnon ratio intentionis. Cap. I.



OMO, vt in hoc mortalium orbe maximè omnium liber, ita maximè seruus censeri meretur; Liber, quia solus munere libertatis arbitrii donatus est, seruus verò non vna, sed multiplici conditione, ipse enim variis subiicitur legum ordinibus, tùm ciuium, tùm naturæ, tùm Dei, quibus inseruire, ac obtemperare tenetur. Insuper cum homo in hanc lucem nudus veniat,

omniumque sit impotentissimus, cogitur variis artibus nauare operam, ut incolumis valeat breue hoc suæ vitæ curriculum sibi a natura præfixum transigere; Demum cum animo sit præditus ad opposita facili, & sæpè ad deteriora procliui, tenetur varios habitus accuratè quærere, & niti eos pro facultate acquirere, vt eorum recta ratione in conuenientem finem ducatur, ac dirigatur. Sic homo maximè omnium eget cura, studio, & disciplina, vt ex nudo maximè indutus, ex impotentissimo potentissimus, ex informi formosissimus euadat. Ac ob id præsertim his eget, quoniam hæc est humanæ naturæ conditio, vt magis ei obsit, vnius vitiosæ actionis inusta fœditas, quàm innumerarum probarum ei prosit splendor, ac ornamentum, quàm sæpè contigisse inueniemus; si memoria repetemus præteritorum historias, homines diuturna Prudentia ornatissimos variarumque virtutum fulgore splendidissimos, vnius tantum sceleris caligine ita fuisse obrutos, vt mox obscurissimi reliquum suę vitæ tem pus contriuerint, & in infamiæ Theatro constituti, uiuam potius mortem traduxerint, quàm uitam absoluerint; Hinc duxit ortum ea cura, & diligentia, quam adhibuerunt semper omnes rectè institutæ Respublicæ pro iuuen tute conuenienter instituenda. Hinc quoque ea solicitudo manauit, quæ Prudentissimorum parentum animos diù, noctuque cruciat, eorumque corda perurit, ut filii, quasi Plantæ ex eorum semine ortæ congruenti cultu in optimam frugem perducantur; Hæc faciunt maiores nostri, ac rectè institutæ Respubli. præsertim sua probitate, suaque pietate commotæ, conspirante ad id instinctu quo dam a Deo per naturam eis inserto; At ex aduerso minores natu multiplici lege tenentur suæ rectæ institutionis parentibus, Reipublicæ, & Deo rationem reddere, ut manifestent se a Parentibus non degenerasse, se sibimet non defuisse, se non iniuria, ut legitima membra in suam fami-

miliam, ſuamq́ue Rempub.inſerendos, recipiendosq́ue eſſe; Hoc cum conueniat iuuenibus omnibus, præſertim conuenit illis, qui in vrbe libera, rectæque inſtituta Rempubl. orti ſunt; qui cum uniuerſæ ſuæ vitę debeant rationem reddere, maximè habituum animi id facere tenentur, cum illi ſint regulæ humanarum actionum, ſint lumina humanæ cæcitatis, ſint formæ mortalis deformitatis, ſine quibus nil recti agere, nil boni niſi fortè fortuna nobis conuenire poteſt, & quorum munere per conuenientia media in optimum finem perducimur; Hæc mecum animo voluens, cum animaduerterem me, ne dum communibus verùm propriis quoque quibuſdam rationibus ſummoperè teneri, meorum ſtudiorum Patriæ, & parentibus rationem reddere, ad animi habitus tanquam ad duces, & Dæmones humanæ vitæ conuerſus, de eis libros formaui, eoſdemq; edere decreui, vt per hanc quaſi externam, & ſenſibilem formam, internæ, ſenſumq; fugientis animi mei formæ aliquam imaginem mundo, & parentibus patefacerem.

Homo itaque maximè liber, maximèq; ſeruus cenſeri meretur.

Homo maximè omnium eget ſtudio, cura, & diſciplina.

Homo ad appoſita apprimè facilis eſt.

Maiores ſua probitate, & quodam naturæ inſtinctu natorum, ac minorum curam habent.

Tenentur filii Parentibus, & Reipub. rationem reddere ſtudiorum, & habituum animi ſui.

Genera duo habituum animi declarantur. Cap. II.



ATVRA in formando homine de nullo alio magis ſolicita fuiſſe videtur, quàm vt illum ad ſtudia redderet, aptiſſimum. Propterea vires, & facultates cunctas ei dedit aſſequendi ſcientias, ſuamq; poſtremam perfectionem, in nobis deindè poſitum eſt, vt facultatibus benè, vel perperam vtamur, vt animum noſtrum conuenienter, vel peruersè formemus; Hinc homo in ſuis manibus dicitur derelictus, ſuæ fortunæ dicitur faber, ſuæq; ſortis auctor: A natura exactè habemus, vt ſimus, ab arte, vt corpore benè valeamus, à proprio ſtudio, cura, & diligentia, vt animum, & mentem congruenter perficiamus. Habitus animi, vt ad eſſe minus conducunt, ita ad benè eſſe apprimè ſunt neceſſarii, Viri autem rectè affecti ſummoperè expetere debent, vt benè ſint, cum ſummopere de ſuo fine teneantur eſſe ſoliciti; Et quoniam benè eſſe ad animum, non ad corpus præſertim pertinet, ideò animum formare tenentur illi, qui benè eſſe cupiunt; Animæ pars cui ſtudium, cura, & diſciplina conducit, vel ex ſe debet eſſe rationis particeps, vel ſaltem per quandam participationem, & iurè quidem, quoniam diſciplina, & ſtudium à ſola ratione proficiſcuntur, ſolamq; rationem, vt ducem, & regulam cognoſcunt; Ex his pendet conuenire diſciplinam, & ſtudium cum parti animæ ſentienti natæ audire rationem, eiq; obtemperare, tùm intellectui, qui ex ſe rationis eſt compos; Hinc oriuntur duo Genera habituum, quorum vnum pertinet ad ſentiendi facultatem, eiusq; appetitum; aliud verò ad facultatem intelligendi; Primi generis ſunt virtutes in more poſitæ,

Al-

Alterius verò ſunt virtutes ad mentem pertinentes: Virtutes primi generis ſanitati corporis conuenienti proportione reſpondent: Vitia verò eis oppoſita ęgritudini: Virtutes ſecundi generis pulchritudini, & decori corporis ſunt ſimiles, vt eorum oppoſiti habitus deformitates, & turpitudines intellectus dici merentur. Ambo hæc habituum genera illuſtria, & præclara ſunt, in quibus vera hominis nobilitas eſt collocata, facta tamen inter ea comparatione, iurè meritò principes cenſeri debent illæ virtutes, quæ ad intellectum pertinent, hæ nanq; vt potioris, & dominæ partis ſunt habitus, ita vires ſuas per vniuerſas animæ facultates effundunt, cæteris dominantur, cæterarum ſunt duces, & demum facultate, & eminentia eas continent. Ideò de habitibus intellectus diſſerendum mihi propoſui tanquam de lumine noſtræ vitæ, De ſuprema forma vniuerſæ noſtræ perfectionis, De optimo, ac potentiſſimo Dæmone, à quo proximè monemur, & ducimur.

Homo itaq; à natura habet vires, & facultates, à ſe vt benè vel male eis vtatur.

Homo eſt ſuæ ſortis Faber.

Habitus animi conducunt, nō vt ſimus, ſed vt benè ſimus.

Diſciplina propriè ſumpta ſine ratione conſiſtere non valet.

Cum duæ ſint Animæ partes rationis compotes, duo etiã ſunt prima genera habituum.

Habitus Intellectus vniuerſæ conſiderati, & ratione præſtantiſſimorum, præferuntur habitibus ſentientis facultatis.

Diuiſio Habituum Intellectus. Cap. III.



ABITVS, qui humanum Intellectum formoſum, ac ſplendidum reddunt, in duo Genera diſtribuuntur, vel enim ſunt tales, vt de eorum ratione, nec rectitudo, nec veritas ſit, qualis eſt opinio, & latè ſumpta fides. Vel ita ſe habent, vt de eorum ratione ſit veritas, & rectitudo, adeò vt ſine his conſiſtere nequeant: Inſuper habitus ſemper veri, & recti duplices ſunt; vel enim ſunt inſtrumentarii, qualis præſertim eſt Grammatica, & Logica, qui pro acquirendis potioribus habitibus nobis adminiculantur; Vel ſunt habitus principes, qui ad Principem aliquem finem ex ſe oprandum proximè ducunt, qualis eſt Scientia, Sapientia, Prudentia, Ars, & Intelligentia; Ego cæteris ſilentio prætermiſſis, de his potioribus verba faciam, cum de his curam præcipuam habere, ac rationem reddere teneamur. Hi habitus iurè quinque cenſeri merentur, cuius numeri ratio eſt, quoniam intellectus per habitus ſuos conuenienter in finem dirigi debet, ideò tot ſunt habitus veri, & recti, quot ſunt ea, per quæ in finem rectè dirigimur. Finis habituum duplex eſt, uel cognitio, uel operatio; quæ operatio adhuc eſt duplex; Actio ſcilicet, & effectio, adeò ut fines ſint Actio, effectio, & cognitio; pro actione conſurgit Prudentia, quæ eſt recta ratio agibilium; pro effectione conſurgit Ars, quæ dicitur recta ratio effectibilium, pro exacta ueritate, & cognitione, quoniam ea latiſſima eſt, non unus, ſed tres habitus parati ſunt: & iurè quidem, nam contemplatio, & ueritas tribus modis ſe habere poteſt, uel enim uerſatur in primis principiis, quorum cognitio quoniam maximè eſt propria mentis, ideò eius nomine honeſtatur,

& di-

& dicitur νοῦς. siue Intelligentia, uel uersatur in his, quæ proximè pendent ex primis principiis, ac communia sunt, cumq; primis principiis iuncta, & dicitur sapientia: Vel demùm uersatur in rebus propriis contracta aliqua ratione scibilibus proximè pendentibus ex principiis pariter propriis, & nuncupatur scientia: His plures habitus, nec dantur, nec dari debent, & si alii nonnulli numerantur, ad hos, ut ad Principes eos redigi putandum est.

Habitus itaque uel ex sui conditione sunt ueri, & recti, uel ne.

Habitus ex se ueri, & recti, uel sunt Principes, uel instrumentarii.

Habitus Principes sunt quinque, qui tamen in tres rediguntur, uel enim dirigunt ad actionem, uel ad effectionem, uel ad ueritatem.

Quomodo Habitus Intellectus poßint dici semper recti, vel veri. Cap. IIII.



IVRE mirabitur aliquis qua ratione uerum sit, quòd dictum est, Habitus nempè quinque enumeratos æterna rectitudine, æternaq; ueritate esse præditos, cum in omnibus variæ obliquitates, innumeri errores, plurimæ deceptiones conspiciantur. Conspicui sunt errores artificum, manifestissimè patet uiros quantumuis prudentes nonnunquam falli; Scientiæ adeò refertæ sunt deceptionibus, ut potius ignorantiæ, quam scientiæ nomine à plurimis Philosophis fore nuncupandas existimatum sit; Propterea rectè D. Augustinus dixit humanam scientiam esse pulchram quandam opinionem, rectè quoque nos addere ualemus, solam Dei, Intelligentiarumq; cognitionem ab errore esse immunem; Et præsertim dubitatio

bitatio locum habet de Arte, & Prudentia, quæ uersantur in re mutabili, incerta, omnis necessitatis experte, adeò ut exacta rectitudo, eis semper conuenire minimè apta esse uideatur; Eustratius in Sextum de Moribus, inquit, Scientiæ, Sapientiæ, & intelligentiæ conuenire æternam ueritatem, cùm ex parte enunciationum, tùm ex parte rerum, uersantur enim in re necessaria, quæ secus se habere non potest; At Prudentia, & Ars, quamuis ex se sint habitus ueri, tamen aliquando falsum subsequitur ob inconstantiam, & fluxum rerum, in quibus uersantur. Hæc solutio dubia uidetur, quoniam ueritas posita est in consensione enunciationis cum ipsa re, si hæc mutua responsio non adest, ueritas non seruatur, non itaque ratione rei videtur posse censeri fallax, ratione enunciationum uera; Præterea adhuc non uidetur soluta dubitatio, quoniam Artifices frequenter non ob materiam, sed ex se falluntur, & scientiæ multis deceptionibus uidentur refertæ; Dicamus itaque hos habitus ex sui ratione æterna ueritate, ac rectitudine esse præditos, quatenus dùm ueritatis, uel rectitudinis sunt expertes, non amplius seruant naturam, & conditionem propriam: non enim est scientia, quæ fallax est, sed ignorantia, neque est Prudentia, uel Ars, quæ rectitudine caret, sed imprudentia, & inertia, quæ conditio opinioni, fidei, & existimationi minimè conuenit, datur enim opinio, & existimatio uera, & falsa, per se itaque ueri, & recti sunt illi habitus; Ex quò euenit quòd Vir prudens, & Artifex, ut dicebat Plato, nunquam errent, quoniam non ut Prudentes, neque ut Artifices, sed ut imprudentes, & inertes falluntur, adeò ut solum ex euentu errare dicantur, nos autem ad id, quod est per se respicere debemus; Et dum dicebatur scientias, & artes refertas esse innumeris erroribus; Respondeo per id indicari, uel non rectè esse formatas, uel non exactè abhomine esse apprehensas, ac demum innumeris difficultatibus

bus esse præditas. Ad postremum quando addebatur, quòd materiæ Prudentiæ, & Artis carent necessitate. Respondeo de rè quoque fluxibili, & inconstanti dari regulas rectitudine præditas, per quas monemur de his, quæ fieri possunt, eligere quod melius est; ac ut inquit Aristoteles, rectitudine utitur sutor dum ex datis pellibus eos conficit calceos, quibus commodiores ex eis confici nequeunt; quòd si etiam Viro Prudenti, Perito nautæ, & Medico non omnia eueniant ad uotum, id parum refert; satis enim rectitudinem seruasse dicuntur, si ex illis, quæ ad eos pertinebant nihil prætermiserunt; Non enim rectitudo Prudentiæ, & Artis in finis adeptione consideratur, quæ sæpè ex euentu nobis conuenire potest, sed in conuenienti mediorum dispositione pro finis adeptione; Et quamuis asserat Hippocrates in Libro Præsagiorum, oportere medicum esse fortunatum, attamen non ob id rectitudo Artis medicæ in manibus Fortunæ est collocata, sed seruari potest in omni eius mutatione, & inconstantia, sola finis adeptio subiicitur Fortunæ non ratione rectitudinis Artis, sed ratione multorum externorum, quæ in facultate Medici collocata non sunt.

Quæritur itaque quomodo habitus Intellectus dicantur semper recti, & veri, cum variis obliquitatibus, & erroribus subiiciuntur.

Soluitur, propterea dici semper rectos, & veros, quia rectitudo, & veritas est de ratione eorum, sine quibus propriam naturam non seruant, sed in oppositũ mutantur.

Additur quòd quamuis non semper in Arte, & Prudentia optatus finis eueniat, non ob id dicuntur carere rectitudine.

Rectitudo Artis, & Prudentiæ non subiicitur Fortunæ, sed euentus, siue finis adeptio.

Nullus Artifex, nullusque Vir Prudens errat.

De Inſtrumentarijs Habitibus ad quem ex potioribus redigantur. Cap. V.



VRE mirabitur aliquis cur Ariſtoteles exactiſſimè numerans, & explicans habitus intellectus, habitum inſtrumentarium, ſub quo Logica, Grammatica, aliæque inſtrumentariæ diſciplinæ continentur, minimè enumerauit, neq; manifeſtauit, an redigantur ad aliquem enumeratorum habituum, & iure mirabitur cum in Primo Topic. idem Philoſophus enumerans genera Problematum minimè prætermiſerit ea, quæ pertinent ad diſciplinas inſtrumentarias, ſed dixit Problematum quædam conducere ad veritatem, alia ad operationem, nonnulla his adminiculari, per adminiculantia denotans ea, quæ ad inſtrumentarias diſciplinas pertinent, Propterea dixere nonnulli eas diſciplinas, & præſertim Logicam redigi ad Scientiam, ac inſuper eſſe partem Philoſophiæ, ſed hi maniſeſtiſſimè falluntur; Primo quoniã a proprio fine vnum quodque denominari, & definiri conueniens eſt, finis proximus Logicæ ex ſententia Ariſtotelis in primo Topicorum loco nuper relato, non eſt ſcire rem illam, in qua verſatur, ſed adminiculari Scientiis, & Artibus, propterea ſi ei conuenirent cæteræ omnes conditiones Scientiæ, cum hæc potiſſima deſit, Scientia dici non poteſt. Præterea ſecundæ intentiones, in quibus verſatur logicus, non ſunt res, quæ propriè cadant ſub Scientiam, illæ enim, quæ vere ſunt Scientiæ, & ſunt Philoſophiæ ſpeculatricis partes in rebus verſantur, & in partium mundi contemplatione, non in conſideratione notionum, & intentionum, a nobis in gratiam alterius elaboratarum; Accedit quòd ſi aliquo modo de eis eſt ſcientia, modus ille non eſt Logicæ

con-

considerationis, sed potius Metaphysicæ, dùm consideran tur sub ratione entis, & in comparatione ad ens per se, & propriè sumptum; vel Physicæ dum considerantur ratione principiorum, & modi, quo conficiuntur, ita enim ad libros de anima pertinent, in Logica solum considerantur, vt instrumenta pro explicandis rebus, quare solum instrumentaria est. Et hoc ex eo manifestè patet, quia Logicus, vt Logicus ignorat quid sit ens rationis, nec ualet illud definire, sed solum in eo uersatur, illud considerando, ut instrumentum ad aliud manifestandum. Hinc manifestè falluntur, qui eam censent Philosophię partem, vt Stoici, & nonnulli ex Peripateticis, nam in his, quæ à nobis fiunt, nunquam euenit, ut instrumentũ sit eius pars, quod instrumento efficitur. Accedit, quòd Logicæ minimè conuenit finis Philosophiæ, nã in usu Philosophiæ, per se collocata est humana fœlicitas, in usu Logicæ fœlicitas posita non est: nisi forte ex euentu ratione rerũ, cum quibus Logica instrumenta nectuntur, non itaq; est pars Philosophiæ. Propterea, vt difficultati satisfaciamus, & solutionem ex rei natura eliciamus, ita dicendum censeo. Natura, vt ad scientias essemus aptissimi, duo nobis potissima instrumenta largita est, loquendi scilicet, & ratiocinandi facultatẽ, disciplinæ deinde, quæ in horum cultu, & recta formatione positæ sunt, ex rei natura habent, ut instrumen tariæ sint; & huiusmodi est Grammatica, quę in sola oratio ne uersatur, & Logica, quæ in ratiocinatione. Hæ propriè non sunt scientiæ, ut patuit, neq; etiam propriè dicuntur ar tes, quales illæ sunt, quæ in externa materia uersantur, ma ximam tamen cum Arte habent affinitatem, quatenus earum finis est nos docere aliquid efficere; Nos enim docet Logicus efficere Logica instrumenta, quibus utimur pro acquirendis, siue formandis scientiis, est enim Logica habitus, quò rectè formamus instrumenta scientiarum, & artium; Hinc non iniuria à uiris sapientibus, Logica, Gram-

matica, Rhetorica, & ſimiles dictæ fuere artes ingenuo homine dignæ. Ariſtoteles in 6. Ethicorum. dum habitus enumerauit, ad Principes reſpexit, non ad inſtrumentarios, & iure quidem, quoniam inſtrumentarii carent fine, ex ſe optabili, & proprio, ſed ad Principes habitus diriguntur; Inſuper quoniam, vt patuit ſimilitudine, & conuenientia quadam ad Artem rediguntur.

Diſciplinæ itaque inſtrumentariæ ſunt illæ, quæ vel in oratione, vel in ratiocinatione, vel in vtriſq; rectè formandis verſantur, cum hæc inſtrumenti loco à natura nobis tributa ſint.

Logica non ſcientia, nec Ars propriè eſt, magis tamen cum Arte, quàm cum ſcientia conuenit.

Hinc minimè cenſeri debet pars contemplatiuæ Philoſophiæ.

Ariſtoteles enumerans habitus ad potiores reſpexit, quoniam inſtrumentarii ad eos diriguntur, & rediguntur.

Quid ſint Habitus Intellectus. Cap. VI.



VM habitus apprimè lateant, nec vllo ſenſu valeant vſurpari, iure variis difficultatibus quaſi nubibus inuoluti, ſeſe nobis offerunt, nec ex actè eorum naturam, & conditionem valemus iudicare: Inter difficultates magni momenti ea principatum obtinet, quæ pertinet ad eorum eſſentiam; & per quam in dubium vertitur quidnam huiuſmodi habitus eſſe dicantur, & iure de hoc ambigere debemus, quoniam Ariſtoteles nonnunquàm aſſerit eos eſſe qualitatem quatenus pro prima qualitatis ſpecie ſtatuit habitum, & diſpoſitionem: Aliquando dicit eos eſſe relationem, vt de ſcientia dixit in 7. Phyſic. & propterea aſſeruit ad eam non eſſe motum: Nonnunquam inquit, Genus ſcientiæ eſſe ad aliquid ſpecies verò eſſe quali-

qualitates; vt in Prædicamẽto qualitatis; magna itaque in dictis Ariſtotelis apparet implicatio, neq; conſtat quid nam huiuſmodi habitus eſſe dicantur. Inquiunt nonnulli, habitus abſolutè eſſe qualitates, aliqua tamen conſideratione includere relationem; includunt autem relationem primo dum acquiruntur, non enim acquiruntur ſine relatione obiecti ad facultatem, ſecundò poſtquàm acquiſiti ſunt, quoniam ad hos habitus, & ad nomen eorum, ac præſertim ad nomẽ Generis ſequitur relatio, diſciplina enim alicuius diſciplina eſſe dicitur. Hæc opinio mihi non ſatiſfacit, nec per eam ſoluitur difficultas; primo, quoniam omnem adeptionem qualitatis, antecedit relatio quædam agentis, & patientis, nec propterea ſequitur ad eam qualitatem non eſſe motum; Inſuper pari ratione ſequeretur, quòd in parte ſentiente non eſſet motus, & quod omnis eius actio eſſet relatio, quoniam in actu ſentiendi, vtraque illa relatio reperitur; & tamen Ariſtot. in 7. Phy. concedit alterationem attingere ſenſum, non intellectũ, quia ſcientia eſt ad aliquid. Præterea ſi habitus abſolutè ſunt qualitates, quæ in intellectu gigni debeant, quomodo vera erit ſententia Ariſtotelis in contex. 20. 7. Libri, dùm inquit, vt igitur, cum dormiens excitatur, non dicitur factus ſciens, quamuis prius non valuerit vti ſcientia, ſed ſolo impedimento remoto ſciens apparet, ita qui à principio acquirit ſcientiam per ſolam remotionem perturbationis redditur ſciens, &c. Hæc ſententia profectò non eſſet vera, ſi ſcientia abſolutè eſſet qualitas intellectus, quæ modo aliquo referretur ad aliud. Propterea dicendum cenſeo, ſcientiam ad duo referri poſſe, vel ad partem animæ ſentientem, & præſertim ad Phantaſiam, cui iuncta eſt memoria, uel ad intellectum; ſi refertur ad partem ſentientem, eſt qualitas ad quam pertinet modo aliquo motus, qui eſt generatio in parte, & alteratio, & ideo Ariſtoteles in tertiò Phy. contex. 8. inquit, quòd ſcientia, ſiue diſcipli-

ſcipli-

ſciplina, eſt motus, & eſt actus addiſcentis, ut eſt in potentia, pariter in 8. Phyſic. contex. 40. inter motus numerat doctrinam, & diſciplinam, de qua ait, quòd idem non poteſt eſſe mouens, & motum. De ſcientia in hac conſideratione dixit in Antepraedicamentis quod eſt in anima, vt in ſubiecto; & in 7. Phyſi. contex. 20. inquit in parte ſentiente eſſe alterationem; Secundò poteſt referri ſcientia ad intellectum contradiſtinctum à reliquis partibus animæ ad quem refertur ab Ariſtotele in 7. Phy. dùm declarat ad intellectum non pertinere alterationem, & in hac cõſideratione dicendum, quòd quamuis ratione modi denominandi ſcientia ſit qualitas, quia intellectus, & homo per illam denominatur ſciens, tamen potius debet iudicari relatio, quàm qualitas, vt in eo loco etiam affirmat Auerroes; & ratio eſt primo, quia ſcientiæ habitus, vt patuit non recipitur in intellectu, ſed in phantaſia, & memoria. Secundò quia ad intelligere non concurrit aliqua tranſmutatio corporea, vel inſtrumenti corporei intellectus; ſed ſolũ ſat eſt obiecti repræſentatio, & imaginationis conueniens diſpoſitio, ex qua conuenienti oblatione, & diſpoſitione ſequitur recta actio intellectus: Iure itaque ſcientia, ut ad intellectum pertinet dicitur eſſe quædam relatio, & nil abſolutum in eo dicit pręter vniuerſale, quod in intellectu reperitur in eſſe cognito, & ſeruatur per Phantaſmata, ideò dicitur intellectus nobis per Phantaſmata copulari.

Patét itaque habitus intellectus modo aliquo eſſe qualitates, propriè tamen ut ad intellectum pertinent dici relationes.

Proponuntur dubia nonnulla, & dissoluuntur. Cap. VII.

IN rebus obscuris nulla resolutio est adeo conspicua, quin ex ea difficultates variç emergant, hinc ex tradita explicatione tria potissima dubia oriri videntur; Primum est, quoniam Aristoteles in Prędicamento qualitatis ait genera habituum, vt putà disciplinam, & scientiam dici ad aliquid, species vero,ut Grammaticam, Geometriam, & similes minimè: Vnde autem hoc eueniat, & quomodo sit verum ex tradita solutione non apparet. Prętereà in contex. 18. 7. Physic. nedum scientia, verùm etiam virtutes morales dicuntur ad aliquid, & ob id ad eas non esse motum, cum tamen virtutes morales ex sententia Aristotelis non pertineant ad intellectum, sed ad appetitum sensitiuum. Postremò si habitus intellectus reuera insunt, ac seruantur in sola animæ parte, quæ sentiendi est principium, nulla erit differentia inter habitus morales, & rationales, omnes enim in eadem animæ parte erunt collocati, cuius oppositum asserit Aristoteles, qui nonnullos habitus tribuit intellectui, alios parti sentienti: Ad has difficultates respondens; ad primam dico, quòd Aristoteles in Prædicamento qualitatis dubitabat quomodo habitus cùm in prædicamento relationis, tùm qualitatis essent collocati, dat duas solutiones, prima est, quòd genera sunt ad aliquid, species vero non ad aliquid, sed qualitates sunt; Quæ solutio solum est vera ratione communis modi loquendi, & impositionis nominum, communibus enim vt notioribus magis sunt imposita relationum nomina, quàm minus communibus cõtractis ad magis definitam rei naturam: insuper vera est, quatenus conceptus

generis

generis habituum & diſciplinarũ ex eo ſumitur, quòd magis præ ſe fert relationem, quàm id, ex quo ſumitur conceptus ſpeciei. Abſolutè tamen ea ſolutio non ſatiſfacit, nec omnem remouet difficultatem, ſi enim genera ſunt ad aliquid, vt etiam ſpecies contentæ ſub eis, quatenus ſub eis continentur, ſint ad aliquid neceſſe eſt. Propterea addit ſecundam ſolutionem, quæ eſt, quòd eadem res varia ratione, & qualitas, & relatio dici poteſt; quo vero pacto ſcientia, & habitus debeant cenſeri qualitas, & relatio ex iam dictis conſtat; ſunt enim qualitates in anima ſentiente, in intellectu autem ſolum ſunt qualitates, quoad noſtrum concipiendi, & loquendi modum, cum ratione ſui ſolum ſint relatio quædam. Inſuper ſunt ad aliquid, quia ſunt qualitates relatæ, vel ad obiectum, uel ad habentem, vel ad intellectum, vt eis vtentem, eoſque dirigentem: Ad alteram difficultatem dum dicitur, etiam virtutes morales dici relationes, & propterea ad eas non eſſe motum, vt conſtat ex contex. 17. Reſpondeo, virtutes morales dici quidem ad aliquid, at longè ſecus, quàm dicantur habitus intellectus, nam de habitibus intellectus inquit Ariſt. nil denuò in intellectu acquiri, vel gigni, ſed ex ſola relatione intellectus ad obiecta, cum remotione impedimenti, conuenientiq; ſenſuum diſpoſitione conſurgere, & ita vt pertinent ad intellectum ſolum ſunt relationes, quamuis vt pertinent ad phantaſiam, & memoriam magis ſint qualitates, at de virtutibus moralibus ſecus ſe habet; nam illæ cum ſint moderationes perturbationum, & pertineant ad appetitum ſenſuum, & phantaſiæ proculdubio ita conſideratæ qualitates quædam ſunt, & ſolum dicuntur ad aliquid, vt etiam ſanitas, pulchritudo, & robur in eodem contex. ad aliquid eſſe dicuntur, quatenus vel conſurgunt ex conuenienti aliqua proportione, vel quatenus ſunt commenſurationes quædam, vel conſtituentium inter ſe, vel earum ad ſuum ſubiectum. Ad poſtremam

diffi-

difficultatem dico, hanc esse differentiam inter habitus intellectus, & habitus morales, qui conueniunt facultati sentienti, quoniam habitus morales sunt mediocritates, & moderationes perturbationum ad sensitiuum appetitum pertinentium, & versantur in voluptate, & dolore, in quibus minimè versantur habitus intellectus. Hinc habitus morales more, & assuetudine acquiruntur, habitus verò intellectus studio, obseruatione, & disciplina: Insuper habitus intellectus, propterea intellectus esse dicuntur, quia vt in suo obiecto propriè in vniuersalibus versantur, & eorum esse dicuntur, vniuersalia autem ad intellectum pertinent; habitus verò morales magis sunt contracti ad singularia, quamuis per vniuersalia, vt putà per Prudentiam, quæ dirigendo ab vniuersalibus orditur, dirigantur.

Constat itaq; cur habituum genera magis dicantur ad aliquid, cum tamen, & genera, & species varia consideratione, & ad aliquid, & qualitates sint.

Insuper constat cur habitus intellectus magis proprie sint ad aliquid, quàm virtutes morales.

Quomodo inter se distinguantur Habitus Intellectus. Cap. VIII.



HABITVS nostri Intellectus, quamuis dicantur esse quinque, tamen in duo capita rediguntur, vel enim in contemplatione, vel in operatione versantur. Operatio duplex est, actio scilicet, & effectio. Propterea ab Aristotele sub initium sexti metaphy. habitus omnis, vel actiuus, vel effectiuus, vel contemplatiuus esse dicitur, qui cum maximè inter se distinguantur, & à multis pendere videatur eorum distinctio, à quo tamen præsertim ea petenda sit non læuis est dubitatio; Aristoteles nonnunquam

videtur afferere diftinctionem pendere à principio, fiue ab efficiente, nam inquit in primo contex. fexti metaphy. omnem fcientiam, aut effectiuam, aut actiuam, aut contemplatiuam effe, effectiuæ in efficiente principium eft, aut Intellectus, aut Ars, aut potentia quędam, Actiuarum verò principium eft prælectio agentis: Pariter in 6. ethicorum Cap. 1. intellectum diuidit in actiuum, & contemplatiuum, indicans, ex diuifione intellectus tanquàm principii pendere diuifionem habituum eius. Nonnunquàm afferit diftinctionem pendere à fine, vt in 3. de Anima. 49. dum inquit, intellectus autem qui ratiocinatur, & qui propter aliquid eft, differt autem à contemplatiuo fine, &c. hoc eft cõtemplatio fimpliciter refpicit verum, & falfum, quod etiam eft bonum, & malum, fed actio illud refpicit fub ratione boni agibilis, & eligibilis; Nonnunquàm affierit diftinctionem fumendam effe à forma; nam forma eft ratio cognofcendi, & diftinguendi. Hinc variæ ortæ funt opiniones de ratione potiore diftinctionis habituum. Grę ci afferunt, vt Simplicius Philoponus, Alexander, Themiftius diftinctionem fumendam effe à fine, cuius fententiæ, eft etiam D. Thomas; Ex aduerfo qui Scoto adhærent, inquiunt, diftinctionem effe petendam non à fine, fed ab obiecto, fiue à fubiecto, in quo verfantur, & ab intellectu refpiciente illud obiectum fub ratione obiecti; non fub ratione finis: Pro notitia, hi confiderant hunc ordinem; primo reperitur obiectum natum cognofci per intellectũ, vt puta in arte medica fanitas, vel corpus humanum fanabile, quod eft obiectum intellectus medici, in naturali philofophia reperitur corpus naturale, quod eft obiectum intellectus Phyfici, hęc obiecta ex fui abfoluta natura habent, ut fint nata habere, unam, uel alteram facultatem, vt puta, quod fint nata expeti; ut bona, fiue agibilia, fiue effectibilia, fiue contemplabilia, adeo ut nonnullis una; aliis alia conueniat facultas; At nunquàm facultas conuenit

uenit uni naturæ,& repugnat alteri, nisi ob aliquod absolutum illi naturæ internum, quare supponitur in scientia aliqua conditio intrinseca, ob quam conuenit ei facultas talis, hæc conditio habitus. Est ab aliqua causa priore, causæ priores eius sunt intellectus, & obiectum, ab his itaq; petenda est prima ratio, distinctionis, confirmatur, si finis redderet scientiam actiuam, uel effectiuam, aut id faceret finis iam acquisitus, aut cognitus, aut intentus; non primum, quia sic est effectus scientiæ, & posterior; si secundum hoc est, quod uolo, nam ut cognitus habet rationem obiecti, non autem finis; non tertium, quia iam reiectum est; Ad Aristotelem in 3. de Anima, inquiunt, illum denotare finem, ut cognitum, & sub ratione obiecti, non sub ratione finis. Nonnulli coacti rationibus utriusq; partis, se medios constituunt, & inquiunt scientiam esse habitum actiuum, uel effectiuum ex obiecto, hoc est ex re, in qua uersatur: esse verò actu talem ex modo, & intentione operandi; & hæc de aliorum opinionibus.

Dubitatio mota est, à quo primo petenda sit ratio distinctionis habituum intellectus.

Nonnulli id tribuunt fini, ut Græci, & D.Thomas, alii, ut Scotus obiecto.

Quidam se medios constituunt, & uaria consideratione aiunt esse petendam ab utrisque.

De Habituum distinctione opinio propria. Cap. IX.



T difficultatem resoluere ualeamus, accipiendum primo est finem, scopum, & obiectum, quamuis habeant modo aliquo significationes distinctas frequenter tamen confundi, ac vnum pro altero usurpari, dùm propriè accipiuntur, Scopus ille est, qui ab Aristotele nun-

cupatur finis,cuius gratia laboramus,ut in arte medica sanitas,in Philosophia contemplatiua veritas,siue fœlicitas, ex contemplatione consurgens.Obiectū quamuis cum Scopo confundatur, attamen ut instituto nostro inseruit, illud esse dicitur, quod facultati cognoscenti offertur, eiq; relatiuè opponitur: inde subiectum Artis, uel scientiæ obiectum dicitur, quod nomen transfertur etiam ad alia, sed modo in hac significatione accipitur. Finis est vox latior, & multiplex assignatur eius diuisio, ac insuper ratione diuersorum in eadem arte uario modo assignatur finis,veluti Artis medicæ Scopus est sanitas, obiectum cognitionis est corpus humanum arte sanabile; finis construentis Artem, est methodum formare, seruandi, vel recuperandi sanitatem, finis addiscentis, est eam methodum addiscere, finis artis, uel artificis operantis, est sanitatem seruare, vel recuperare, siue quòd idem est, Scopū artis attingere, nunc tamen finis accipitur, ut cum Scopo coincidit, & ab obiecto distinguitur; Accipio secundo ab eo petendam esse distinctionem, à quo res pendet, uel in quo constitutum est esse rerum; per eadem enim res sunt, & distinguuntur, loquendo non de distinctione externa, & ex euentu, sed de ea, quæ est per se, & propria; Accipiendum tertio rerum quatuor esse causas ad quas respiciendum est, dum rerum distinctiones explicare cupimus, nam ab omnibus modo aliquo potest pendere distinctio. Addo postremo dum loquimur de formarum mutua distinctione, eam nedum ab aliis causis, verùm à forma quoque, siue à conditionibus eius posse accipi; Et Suessanus in prima quæstione sexti metaphy. secus sentiens à uero recessit; nam forma leonis, à forma lapidis, etiam per ea, quæ sunt de interna ratione utriusque formæ distingui dicitur: quę distinctio, diuersitas quædam, ex natura, & conditione rei esse dicitur, ueluti quamuis mathematicus solam consideret formam, tamen quadratum ab exagono, uel à circulo differre

differre manifestè affirmat. Et hoc præsertim uerum est de distinctione habituum, cum in eis ne dum formæ, uerum etiam materiæ ratio consideretur. His præassumptis dico primo distinctionem habituum esse duplicem, unam per externa, alteram per interna, per externa est ab efficiente, & fine, per interna à materia, & forma; à materia, quoniam uersatur in consideratione alicuius rei, quæ dicitur materia, in qua uersatur, & hæc dicitur interna, quoniam de ea est scientia, quæ scientia per representationem est ipsum scibile, forma autem est ipsamet natura, & conditio habitus, cui conuenit, vel maior, vel minor certitudo: ideò Aristoteles in Procemio de Anima dicebat, præstantiam scientiæ pendere ex præstantia scibilis, & ex certitudine, hæc enim perinde se habent, ac materia, & forma; quòd à materia quoq; possit peti distinctio patet, quia dicimus Artes in re variabili, scientias in re æterna versari; putantes per id secernere Artes à scientiis. Dico secundo ex materia, in qua habitus versantur, non pendere potissimam rationem distinctionis, quod ostendo, quia ex eo non pendet præcipua distinctionis ratio, sine quo seruatur distinctio, at seorsum à varietate materiæ seruatur distinctio, quare non ex ea præsertim pendet, quòd autem sine ea seruetur distinctio, ostenditur; quoniam hominem, sanitatem, ægritudinem, temperamenta, & similia considerat Physicus, & Medicus: & tamen eorum consideratio distincta est; pariter animi perturbationes, arbitrii libertatem, & alia nonnulla considerant Ciuilis, & Physicus; & tamen quamuis materia, siue res considerata sit eadem, consideratio varia est; Confirmatur, quia ut se habet pars ad partem, ita totum ad totum; at partes speculatricis philosophiæ, vt Physica, & Mathematica nõ distinguuntur inter se per materiam, in qua versantur, sed per modum considerandi; vt declarat Aristoteles in 2. Phy. 18. quare pariter habitus vnus ab altero non per materiam præsertim distinguitur,

tur,

tur,ſed per aliud; Ex quo ſequitur errare eos,qui aiunt diſtinctionem per ſe & primo ab obiecto petēdam eſſe; nam obiectum, vt modo accipitur eſt materia, in qua habitus verſatur, quæ quamuis vt obiectum dicatur mouere intel lectum, propriè tamen ad habitum ſe habet, vt materia eius,in qua verſatur. Addo tertiò internam habituum inter ſe varietatem, & diſtinctionem in forma eſſe poſitam, & a forma eſſe petendam, forma habituum, ſiue quod præſertim ad formam pertinet, eſt modus conſiderandi; ideo ex modo conſiderandi intrinſecus ſumēda eſt eorum diſtinctio,vt declarauit Ariſtoteles in 2. Phyſi. contex.18. dum Mathematicum ſeiunxit à Phyſico, quod etiam expli cauit Auerroes in 1. Poſter. com. 178. Addo quarto, & poſtremò modum conſiderandi reſpicere finem, & à fine pendere, terminari, & formari, à fine enim diriguntur,& terminantur ordinata in eum, quia vnus quiſq; rem conſiderat,quatenus ſuo fini inſeruit, per Ariſtotelem 2.Phyſi. 26.& finis dicitur cauſa cauſarum: Ex quo ſequitur diſtinctionem primò ortum ducere, & præſertim vt à prima cau ſa pendere à fine:ſecundo proximè reperiri in forma, & cō ditionibus eius,expoſcere tamen materiam cōuenientem, congruentiaq́; principia efficientia,& hac de cauſa Ariſtotel.in 3.de Anima, habitus fine diſtingui affirmauit. Confirmatur, nam quòd modus cōſiderandi ſeruet relationem ad finem, patet; Medicus enim gratia exempli hominem conſiderat,vt arte ſanabilem; Ciuilis, vt natum per actionem aſſequi felicitatem, & ſic de cæteris; Inſuper artifex abſolutè ſumptus rem conſiderat,vt effectibilem; Ciuilis vt agibilem, ſpeculator, vt contemplabilem; qui omnes conſiderandi modi ad finem referuntur, adeò quòd cum ex modo conſiderandi proximè petenda ſit diſtinctio, & modus conſiderandi pendeat, non ab obiecto ſub ratione obiecti contradiſtincti à fine, ſed à fine vt propriè obtinet rationem finis, iure à fine potiſſima habituum diſtinctio-

nis

nis ratio petenda est. Confirmatur, quia ab eo præsertim petenda est distinctio, à quo pendet terminus, directio, & forma considerationis; at hæc à fine pendent, quòd ostenditur, nam Aristoteles in 2. Phy. explicans, vnde scientiæ, & Artes recipiant terminum suæ considerationis, inquit in contex. 26. illum recipere à fine, & vnumquodq; suo fine definiri, ac terminari conueniens est: Postremò hæc confirmantur respiciendo ad definitiones habituum; nam Ars dicitur recta ratio effectibilium, Prudentia agibilium, sciẽtia scibilium, adeo quòd postrema differentia in definitione sumpta, quæ potissima est, & magis propria iudicari debet, à fine sumitur, quòd etiam à fine petenda sit rectitudo, directio, & præstantia, ex se constat.

Obiectum itaq; & Scopus frequenter confunduntur, propriè tamen sumpta diuersa significant.

A quo pendet esse rerum, pendet etiam distinctio.

Hinc propriè distinctio ab aliqua ex quatuor causis oritur.

Potissima habituum distinctio non pendet ex materia, siue ex obiecto, neq; ex efficiente.

Distinctio intrinsecus, & proximè pendet ex conditionibus formæ, ac attinentibus ad eam.

Absolutè præcipua distinctionis ratio à fine petenda est.

Solutio Rationum alterius opinionis. Cap. X.



RELIQVVM modo est, vt aduersis rationibus satisfaciam; quod arduum minimè erit, cum ex recte explicata veritate pateat facilis solutio difficultatum. Dùm primò dicitur Aristotelem nonnunquàm ex principio efficiente sumpsisse distinctionem; Respondeo ex eo

quoq;

quoque distinctionem pendere, at non primò, indicat autem Philosophus potiorem rationem distinctionis, dum absolutè ait eos fine distingui. Dùm additur, quòd Aristotel. in 6. Metaphysic. distinctionem petit ab obiecto; Respondeo, distinctionem pendere ab obiecto ratione modi considerandi illud, qui modus respicit finem, & à fine pendet tanquam à prima causa, vt cumulatè manifestaui. Ad primam rationem dum dicitur, si scientia ex fine haberet, ut esset contemplatiua, uel actiua; aut id haberet ex fine, ut actu intenditur, vel vt natus est intendi: Respondeo, ex fine, ut actu intenditur, habet ut actu sit talis, ex fine ut nato intendi, habet ut habitu talis sit: & dum additur nunquam facultas conuenit uni naturæ, & repugnat alteri, nisi ob aliquod absolutum illi naturæ internum, quod prius est; Respondeo promptitudo, & facultas supponit quidem obiectum, vt fundamentum eius, tamen in eo priori non seruatur distinctio habituum, quoniam illud prius est tale, ut nonnunquam possit ad uarios fines dirigi, & ad distinctos habitus pertinere, quemadmodum manifestaui, ideò potest esse obiectum distinctorum habituum; illa itaque relatio supponit quidem objectum, & conditionem eius, ut causam, sine qua non, at non ut causam potissimam distinctionis. Ideò inquit Aristoteles in 2. Metaphy. contex. 3. Vocari verò Philosophiam veritatis scientiam recte se habet; nam contemplatiuæ finis est veritas, Practicæ opus; etenim si quo modo se habent, considerant nõ tamen secundum se, sed ad aliquid, & nunc speculantur Practici. &c. Ex his patet solutio ad alteram rationem, dùm dicebatur, si finis reddit scientiam contemplatiuam, vel practicam, aut id facit, vt acquisitus, vel vt cognitus: vel vt intentus: Respondeo, id facit vt intentus, quia sic dicitur causa, vt finis, & ad instantiam contra hoc iam est responsum. Et dum ad Aristotelem inquiunt eum denotare finem, vt cognitum, non vt intentum, quando asserit,

ſerit, habitus diſtingui per finem, proculdubio falluntur; nam Ariſtoteles propriè vtitur nomine finis, finis autem propriè ſumptus propterea dicitur finis, quia eſt in intentione agentis, finis enim deſcribitur in 2. Phy. quòd ſit, id cuius gratia agens agit, & hoc explicauit Ariſtoteles in contex. 34. tertii de Anima, dùm dixit, & quòd ſine actione eſt verum, & falſum, & in eodem genere eſt cum bono, & malo, ſed differunt ipſo ſimpliciter, & aliquo, &c. Pariter aliis in locis dum Ariſtoteles inquit, habitus dirigi, terminari, definiri, nobilitatem accipere à fine, ſemper finem accipit ſub ratione boni intenti, & verè finis, non autem ſolum pro obiecto.

Solutæ itaq; ſunt aduerſę rationes, reſponſum eſt ad authoritates, & eſt oſtenſum Ariſtotelem nomine finis propriè ſumptum finem denotaſſe.

Quomodo, & vnde Habitus dicatur vnus opiniones variæ, & inſtantiæ aduerſus eas. Cap. XI.



NVMERATI ſunt quinq; habitus noſtri intellectus; at iure aliquis mirabitur, qua ratione Ars habitus vnus dici poſſit, cum innumeræ propè ſint Artes, quave ratione ſcientia, & reliqui habitus vnitate præditi ſint, cũ in ſingulis innumeræ varietates, innumeræq; oſtenſiones apprimè ſeiunctæ inueniantur. Aiunt nonnulli habitum dici vnum per aggregationem. Eſt enim Ars habitus vnus ex multorum aggregatione conſurgens: Confirmatur hæc opinio primo, quia ſcientia, & habitus omnis inſequitur conditionem, & naturam rei, de qua eſt habitus, at huiuſmodi res ex ſe diſtinctæ ſunt, vt puta entia, de

quibus est sapientia, sunt varia, & solum per aggregationem possunt dici vnum, quare similiter habitus de illis solum per aggregationem vnus erit; Confirmatur insuper, quia omnis demonstratio est Syllogismus generans scientiam, quare, vt se habet de demonstrationibus, ita de scientia, sed demonstrationes in scientia sunt plures, & solum per aggregationem nectuntur, quare habitus scientiæ solum erit vnus per aggregationem, & eadem ratio est de cæteris habitibus. Alii inquiunt habitum esse vnum non per aggregationem, sed per formam, adeò vt habitus vnus, dicatur forma vna simplex prædita gradibus, per quos consequenter acquiri possit, non secus ac calor, & color, per varios gradus in recipiente suscipiantur; sic itaq; dum aliquis incipit acquirere per nonnullas demonstrationes gratia exempli naturalem scientiam, dicitur incipere acquirere formam illius habitus, quæ per subsequentes demonstrationes intendatur, ac perficiatur; non autem quòd per subsequentes demonstrationes noui habitus producantur. Confirmatur hæc opinio, quoniam habitus est vnum subalternum genus qualitatis, quod sub se habet species varias, vt patet ex prædicamento qualitatis, genus, & species accipiuntur à forma, non ab aggregatione, quare in habitu vnitas reperiri debet, siue generis, siue speciei, quæ ex forma oriatur, & consurgat; Præterea si ad aggregationem respiceremus, sequeretur q; & habitus apprimè distincti possent dici vnus, quia in vno recipiente valent aggregari, & habitus vnitate præditi possent dici non vnus, sed multi, quia non in eodem essent aggregati, sed in variis distincti. Nonnulli se medios constituentes inquiunt scientiam ex demonstratione consurgentem posse dupliciter considerari, & per se, & per accidens, si per se consideratur est cognitio, si per accidens est habitus; quo præassumpto aiunt, si scientia consideratur sub ratione habitus per quem inclinamur ad facilem speculationem eiusdem, vel similis rei, sic in

Platone

Platone eſt vnus numero, & in tota humana ſpecie eſt vnus ſpecie ſpecialiſſima; ratio eſt, quia habitus refertur ad id, cuius eſt habitus, & ſic vnius numero, vnus numero eſt habitus: vnius ſpecie, vnus eſt ſpecie; Et confirmatur, quia habitus eſt ſpecies ſpecialiſſima qualitatis. Si verò ſcientia conſideratur per ſe, vt eſt cognitio, ſic poteſt dici vna numero, ſpecie, genere, & aggregatione, vna numero, vt eſt vnius numero concluſionis per vnam demonſtrationem, vna ſpecie, vt eſt vnius ſpecie, una genere, ut eſt unius genere. abſolutè uerò una aggregatione, ut ex omnibus conſtans, ueluti uniuerſa Metaphyſica: Hę opiniones dubiæ mihi videntur; nam prima, quòd habitus ſit unus aggregatione dubia eſt, quoniam ſi eſt unus aggregatione, non eſt unus per ſe, ſi non per ſe unus, ergo per accidens erit vnus, per ſe autem multiplex: Et quia denominatio debet fieri ab eo, quod eſt per ſe, ſequitur, quòd abſolutè habitus multiplex erit, non unus. Secunda opinio, quod habitus ſit una forma recipiens magis, & minus, dubia etiam eſt, quoniam habitus ex multis conſtat, neque per hanc opinionem explicatur quomodo ex eis multis vna ſimplex forma conſurgat, quæ intendatur, & remittatur; Forma enim intenditur per ſimilium additionem, ea, quæ adduntur non videntur ſimilia, ſed apprimè diſſimilia ex uariis principiis, diſtinctis demonſtrationibus conſurgentia, ideò adhuc remanet ſententia dubia, neque conſtat quomodo ſit una forma. Tertia opinio, quę fuit Sueſſani deterior aliis eſſe videtur; Primò dum inquit ſcientiam poſſe conſiderari, & ſub ratione habitus, & ſub ratione cognitionis; ſub ratione habitus omnem ſcientiam eſſe eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimè, quia habitus eſt ſpecies ſpecialiſſima qualitatis; hoc apprimè falſum eſt; nam ſpecies qualitatis ab Ariſtotele numeratæ, vt potiores interpretes conueniunt, ſunt non poſtremæ, ſed mediæ ſub ſe uarias ſpecies continentes, & præſertim habi-

tus, & diſpoſitio, & propterea ab Ariſtotele modo ſpecies, modo genera nuncupantur. Accedit, quòd cognitio ad habitum pertinens eſt differentia habitus, ideo ut talis non poteſt cenſeri communior habitu, nam habitus in genere qualitatis poſitus diuiditur, uel enim eſt habitus corporis, uel animi, ſi animi uel eſt habitus appetitus ad ſenſum pertinentis, vel rationis, ſiue intellectus; ſi intellectus, vel eſt actiuus, vel effectiuus, vel contemplatiuus, & vnuſquiſque horum mox per alias differentias diuiditur; quare ea ſententia alieniſſima eſt a uero; Præterea dicere, quòd ſcientia abſolutè ſit una aggregatione, verum non eſt, quoniam in omni habitu unio aliqua formæ reperitur, cum habitus ſit unum genus, & genus ſumatur à forma, dum adeſt unio pendens à forma, ea per ſe, & propria unio cenſeri debet, à qua, & non ab alia eſt ſumenda denominatio. Præterea dicere, quòd dum acquiritur ſcientia, ea per ſe ſit ſcientia, & cognitio, per accidens uero habitus dubium eſt, quoniam habitus per ſe in primo modo prædicatur de ſcientia, quare dum acquiritur ſcientia non per accidens acquiritur habitus, ſed proximè ſcientia, remotè, & per conſecutionem dicitur acquiri habitus, vt dum gignitur Socrates, dicitur gigni homo, & animal.

Tres itaq; potiores ſunt de vnitate habituum opiniones; quidam enim aſſerunt habitum debere cenſeri unum per aggregationem.

Alii inquiunt habitum eſſe vnum, quia eſt una forma ſimplex, nata per gradus perfici.

Nonnulli ſe medios conſtituunt, & habitum uaria conſideratione, aſſerunt eſſe unum numero, ſpecie, genere, & aggregatione.

Hæ omnes opiniones dubiæ uidentur, nec omni ex parte uidentur eſſe approbandæ.

Opinio

Opinio propria. Cap. XII.



VM Viri celebres de re aliqua dissentiunt difficile est conspicuam veritatem inuenire, propterea cum de vnitate habituum variæ sint illustrium virorum sententiæ, non est nobis facile veram patefacere, & procul ab omni dubitatione eam proferre. Vt tamen dicam quod sentio; Præaccipio rem omnem, quæ propriè vna sit ex forma habere vt sit vna: nam dicebat Aristoteles in 2. de Anima. contex. 7. cum ens, & vnum multipliciter dicantur, ꝙ propriè actus est: Addo secundo habitui, & partibus eius propriè vnitatem conuenire; nam propriè ea natura censeri debet vna, quæ vniuoca est, habitum esse vniuocum ex eo constat, quoniam in eo, & genus, & species inueniuntur, est itaq; habitus verè vnus, & consequenter à forma intrinsecus, & proximè habet, vt vnus sit; Addo tertio quotiescunq; forma rei talis est, vt operationis initium esse debeat, quoniam id, cuius est opus est gratia operis, vt inquit Aristoteles 2. Cœli. 17. propterea semper vnitatem recipit à sua forma, cum relatione aliqua ad actionem, tanquàm ad finem: & præsertim id euenit, dum ea relatio est modo aliquo de ratione formæ, & quoniam habitus sunt gratia operis, vt docet Aristoteles in 1. Ethicorum, & ea relatio est de ratione formæ eorum; Ideò iure colligendum est, habitui conuenire vnitatem per formam cum relatione tamen ad finem, & dependentia ab eo. Perpendendum modo est, quænam sit huiusmodi forma, de qua dico eam posse cum maiori, & cum minori abstractione considerari, & consequenter magis, & minus tenuem indicare posse vnitatem: Genus enim est vnitas, magis tenuis, quàm species: propterea dum habitus vniuocè accipitur, indicat hanc tenuissimam vnitatem; ut cum difficultate ab

eo in quo eſt remoueatur, deſcendendo uero ad habitus noſtri intellectus, & prætereundo cæteros, cæterorumq; differentias, dico hos habitus conuenire primo, quia ad intellectum pertinent; Inſuper, quia cum difficultate remouentur, cum rectitudine, & facilitate per eos ſpeculamur, uel operamur. In ſingulis deinde conſideratur propria forma, quæ poſita eſt in modo conſiderandi cum relatione, uel modo quodam ſeſe habendi ad ſuum finem; Ex quo ſequitur, quod ſapientia, ſciētia, & Intellectus minus inter ſe diſtinguuntur, & magis cōueniunt, quàm ſcientia, & Ars, uel ſcientia, & Prudentia: cum eorum modi conſiderandi, & fines magis conueniant; ſic itaq; Prudentia eſt habitus unus, quia unus eſt conſiderandi modus in unum finem ordinatus, pariter de cæteris ſe habet. Ex his ſequitur habitum poſſe dici unum numero, unum ſpecie, unum genere, ut una fuerit forma, ſiue modus conſiderandi eius: Confirmantur hæc, quoniam ex eo pendet unitas, ex quo ſumitur diſtinctio, at diſtinctio, ut patuit pendet à forma, & fine; Prætereà ex eo pendet unitas, ex quo ſumitur rei definitio, at habitus per formam, & finem ab Ariſtotele definiuntur: Dicitur enim Prudentia recta ratio agibilium; Ars recta ratio effectibilium, & ita de cæteris: Et ſi quis inſtet, quoniam forma in ſimplici, & in uariabili eſſentia poſita eſt, & ad materiam refertur, ideo de rebus uariis per diſtincta principia, & oſtenſiones una forma conſurgere non poteſt: Reſpondeo res ad ſcientiam pertinentes non eſſe adeo diſtinctas, quin poſſint in communi aliquo fine, ac in communi modo conſiderandi conuenire, ut ſatis conſtat: Et ex his patent ſolutiones difficultatum.

Sic itaq; habitus non debet dici unus per aggregationem. Habitus debet cenſeri unus per formam cum relatione ad finem, & dependentia ab eo, in qua ſignificatione ſecunda opinio cæteris eſt præferenda.

In qua animi parte insint, ac seruentur habitus intellectus opiniones aliorum.

Cap. XIII.



ERTINENTIA ad Intellectum, ut sunt præclara, & sui natura illustria, ita nobis obscura, & ualdè difficilia sese offerunt; nam supposita ex opinione Aristotelis huius animæ partis æternitate, perplexa oritur dubitatio, ubi nam insint, ac seruentur habitus eius: Alexander, qui ut unam in homine animæ substantiam recte nouit, ita perperam censuit eam ex materia educi, & ex temperamento pendere, facilè ab hac difficultate explicari ualuit, nam dixit intellectum in habitu esse depositas conseruatas, & quiescentes considerationes, quæ sint ueluti acies suprema animæ, per quam ea pręditi, ualent ad libitum speculari, & nitatur tanquàm fundamento substantia animæ: Fallitur proculdubio Alexander primò cum statuat essentiam animæ ex temperamento consurgere: præterea cum dicat intellectum in habitu esse conseruatas, & quiescentes considerationes, nam proculdubio aliud est habitus, aliud est intellectus in habitu: sed deceptus est Alexander, quia censuit intellectum potestate denotare solam potentiam, & puram illam præparationem: Insuper dubia est sententia Alexandri cum dicat conseruari considerationes illas ad intellectum pertinentes, non enim illæ seruari possunt ex sententia Aristotelis, nisi ex euentu; cum solum ex euentu detur memoria vniuersalium, quatenus scilicet in Phantasmatibus relucent, quorum Phantasmatum per se memoria est, ut in libro de memoria, & reminiscentia asseritur: Simplicius

rectè

rectè iudicans, animam immortalem, exiſtimauit in eius eſſentia inſertas eſſe intelligibilium rationes, & formas ideis reſpondentes: quæ rationes in anima in ſe manente ſeruarentur illeſæ, in progrediente verò quaſi deletæ laterent; in acquirendo autem habitu cenſuit præcurrere excitationes à ſenſibilibus factas, perfici uerò intellectū progredientem à formis illis, quæ ſunt in anima, ſiue animario intellectu manente; adeo quòd habitus ut in fundamento ſit in intellectu progreſſo, & pendeat à formis animæ in ſe manentis: & propterea habitus ille à Simplicio in tertio de Anima, commento 8. non dicitur ſubſtantia, ſed circa ſubſtantiam, hoc eſt circa formas, quæ ſunt inſertę in ſubſtantia manentis animæ: Qui intellectus in habitu ad libitum ſine præcurrente imaginatione valeat ſpeculari. Proculdubio ſimplicius in multis ab Ariſtotele recedit, primò ratione fundamenti habitus, nam cenſet habitus ſeruari in intellectu progreſſo, quòd dicere non valemus cum Ariſtotele, qui intellectum nil ſeruare aſſeruit, ſed ſoli Phantaſiæ memoriam cenſuit conuenire. Præterea recedit ab Ariſtotele, cum tribuat intellectui formas ideis reſpondentes, quas manifeſtiſſimè Ariſtoteles reiecit: Inſuper fallitur cum cenſeat intellectum in habitu ſine præcurrente imaginatione ſpeculari poſſe frequenter in 3. de Anima, & in libro de memoria, & reminiſcentia repetit Ariſtoteles, intellectum ſine Phantaſia, nil intelligere, & Phantaſmata perinde ſe habere ad intellectum, ac ſenſibilia ad ſenſum; Præterea uidetur Simplicius aduerſari ſuis fundamentis, nam ex vna parte aſſerit in commento 20. tertii de Anima, memoriam eſſe Phantaſmatum, & ad Phantaſiam pertinere: Ex altera uero, inquit ſeruari habitum in intellectu progreſſo, per quem valeat ad libitum ſine præcurrente Phantaſia operari: Inſuper ex vna parte inquit habitum eſſe perfectionem ex formis idealibus, quæ ſubſtantiæ ſunt prodeuntem, immo

eſſe

esse formam intellectus progressi pendentem à formis animæ manentis, quæ substantiæ sunt, ex altera inquit habitum non esse substantiam, sed circa substantiam; nam si essentia habitus est forma, quæ substantia est, necessario sequitur, vt ipse quoq; sit substantia. Propterea est tertia opinio D. Thomæ, & sectatorum, qui ex sententia Aristotelis in singulis hominibus singulas ponunt animas à Deo creatas, ac insuper censent, dari species intelligibiles re distinctas ab intelligibilibus, quæ sint ratio intelligẽdi ea, ac habitum intellectus inquiunt esse qualitatem de prima specie qualitatis ex speciebus intelligibilibus impressis, ac seruatis in intellectu consurgentem: Hæc opinio, pia, verissima, & Theologorum determinationibus accommodatissima est: at Aristoteles superno destitutus lumine, secus existimauit: ac vt multa prætercam, proculdubio Aristoteles in Libro de memoria, & reminiscentia non censuit vniuersalium esse memoriam, nisi ex euentu, quatenus scilicet in Phantasmatibus lucent, quorum per se memoria est: Præterea intellectus ex opinione Aristotelis in 7. Phy. 20. nihil recipit, ideo scientia dicitur relatio quædam, ac vt inquit Auerroes commento 20. Scientia potius est relatio, quàm qualitas.

Sic itaq; ex opinione Alexandri substantia humanæ animæ in singulis est vna, & mortalis, in cuius essentia, vt in fundamento seruantur habitus intellectus.

Intellectus in habitu sunt species illæ conseruatæ & coaceruatæ, quæ sunt veluti suprema acies animæ.

Ex opinione Simplicii fundamentum habitus est intellectus progressus, reuersus tamen ad eum in se manẽtem.

Habitus est perfectio à formis intelligibilibus insertis in essentia animæ i intellectus in se manentis profluens.

Ex opinione D. Thomæ species intelligibiles statuuntur distinctæ ab intelligibili in esse cognito.

Habitus vt in subiecto sunt in intellectu, ac in eo seruãtur.

Hæc omnia minimè conuenire cum opinione Aristotelis variis rationibus ostensum est.

In quo sint habitus Intellectus ex sententia Aristotelis Opinio propria. Cap. XIIII.



Q VONIAM cæterorum opiniones satis dubiæ apparuerunt, & parum congruentes cum principiis, & fundamentis Aristotelis: Propterea dicendum censeo habitus, tanquam in fundamento eos seruante esse collocatos in virtute imaginandi, & memoria; adeo vt tunc homo dicatur habitu præditus, dum longo studio, cura, & diligentia, ita digesserit, firmauerit, ac ordinauerit rerum Phantasmata, vt ex eis promptè, & ad libitum valeat vniuersalia colligere, & rerum naturas speculari, siue alio quouis fungi munere, quod ad habitum pertineat; Intellectus autem in habitu, est intellectus potestate, qui quamuis nil, vt subiectum recipiat, & seruet, tamen duplici ratione dicitur singula factus, primo quia nunquam firmatur in memoria habitus non præcedentibus contemplationibus per quas intellectus fit singula, secundo, quia præsente habitu ad libitum, intellectus potestate fit actu singula; quòd hæc sit opinio Aristotelis patet primo ex octauo contex. 3. de Anima; vbi inquit, quòd intellectus in habitu adhuc dicitur esse potestate, non autem diceretur potestate si in se intelligibilia conseruaret, & si addit Aristoteles, non eodem modo esse potestate, vt antequàm intelligeret, id facit, quia antequàm intelligeret non ita erat facilis, & paratus ad intelligendum, vt est iam parato habitu: Præterea si intellectus in se haberet, & seruaret habitum, utiq;

possset

posset sine auxilio Phantasiæ speculari, quod tamen negat Aristoteles, cum sæpe repetat esse necesse, vt qui speculatur conuertatur ad Phantasmata; Insuper Aristoteles manifestissime hoc patefacit in 7. Phy. contex. 20. dum affirmat scientiam esse solam requietem, & quatenus pertinet ad intellectum esse solam relationem, per quam intelligibile ad intellectum refertur, ac demum eius primam acquisitionem ei dispositioni esse similem per quam Geometra ebrius, remota ebrietate dicitur fieri Geometra, quod exemplum eatenus est simile, & accommodatum, quatenus pertinet ad intellectum, in quo nil noui recipitur, sed solum ei offertur obiectum, quod congruenter disposita imaginatione, valet iudicare cum ante id efficere non valuisset: Hoc ipsum etiam confirmatur per Auerroem in calce 20. commenti tertii de Anima, dicentem, & debes scire, quòd vsus, & exercitium sunt causæ eius, quod apparet de potentia intellectus agentis, qui est in nobis ad abstrahendum, & intellectus materialis ad recipiendum, sunt dico causæ propter habitum existentem per vsum, & exercitiũ in intellectu patibili, & mortali, quem nuncupauit Aristoteles patibilem, denotando uim cogitandi, per hæc uerba manifestissime indicat Auerroes habitum non in intellectu, sed in parte sentiente recipi: At obiiciet aliquis cum scientia, sapientia, & reliqui habitus intellectus sint vniuersalium, quomodo seruari, & recipi possunt in Phantasia, quæ solum est singularium; Præterea si sunt in Phantasia, cur non potius appellantur habitus Phantasiæ quàm intellectus, & cur non potius per Phantasiam quàm per intellectum definiuntur, cum habitus per subiectum definiri debeant? Insuper sequeretur si habitus essent in Phantasia, & memoria, quod non eiusdem esset actus secundus, cuius est primus, habitus .n. est actus primus, speculatio secundus, speculatio pertinet ad intellectum, quare si habitus erit in memoria non eiusdem erit actus secundus, cu-

ius eſt primus; Immò ſequeretur, quòd habitus non erit principium operandi, ſed potius erit obiectum; Nec Ars, & Prudentia erunt recta ratio agendi, vel efficiendi, cum recta ratio ad intellectum pertineat. Reſpondeo ad primum cum Ariſtotele in libro de memoria, & reminiſcentia, conſeruationem eſſe non vniuerſalium, ſed Phantaſmatum, & cum ſit Phantaſmatum etiam deinceps eſſe uniuerſalium, adeò quòd ſcientia ratione fundamenti, quod conſeruatur, & ex quo colligitur ſpeculatio, eſt ſingularium, ratione vero ſui actus, & formæ eſt uniuerſalium. Ad ſecundam difficultatem, dico hos nuncupari habitus intellectus, quoniam eorum munere intellectus nobis per operationem copulatur, inſuper uſus eorum ad intellectum pertinet, & pro eius uſu parati ſunt; Poſtremo, quia non ſunt perturbationum moderationes, nec more, & aſſuetudine, ſed præſertim doctrina, diſciplina, longo ſtudio, ac diligenti mentis cura, formantur, & acquiruntur, & ob id etiam per intellectum definiri poſſunt; Inſuper definiuntur per intellectum ob communem ſententiam opinantium in intellectu ſeruari, exactius autem definirentur ſi id fieret per utrunque manifeſtando, quomodo ad Phantaſiam, & quomodo ad intellectum pertineant. Ad tertium dum dicitur, non eiuſdem erit actus primus, & ſecundus. Reſpondeo actus primus eſt duplex, vnus præcipuus, alter inſtrumentarius, actus primus præcipuus eſt intellectus, qui etiam verè eſt principium ſecundi actus. Habitus eſt actus primus inſtrumentarius pariter & eius, vt inſtrumenti eſt actus ſecundus: Et ad confirmationem, quia ſic habitus non erit principium operandi, &c. Reſpondeo habitum non debere abſolutè iudicari primum operationis principium, huiuſmodi enim principium eſt intellectus, ſed habitus eſt ratio quædam bene, facile, & promptè operandi, quam facilitatem acquirimus per conue-

nientem

nientem phantaſmatum diſpoſitionem, & frequentem uſum eorum; rectitudo autem ſeruatur in intellectu, ut in principio, & cauſa, in phantaſmatibus uero, ut in fundamento in quo modo aliquo rectitudinis forma refulget.

Sic itaq; conſtat habitus illos, qui intellectus eſſe dicuntur in memoria phantaſiæ iuncta ſeruari: Ad intellectum uero pertinere uſum ad libitum eorum, quæ ſeruata ſunt.

FINIS PRIMI LIBRI.





ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBER SECVNDVS.



De Mente, siue Intelligentia. Comparantur inter se habitus Intellectus. Cap. I.



Abitvs omnes quibus anima nostra ex se nuda induxitur, & ex se informis ornatur, ac perficitur, illustres, ac splendidissimi sunt; attamen vt stellarum, quibus ornatum est Cœlum, nonnullæ illustriores sunt aliis, & à nonnullis aliæ splendorem, & virtutem recipiunt; ita inter habitus intellectus nonnulli solis

instar

instar sunt illustriores, & reliquis suæ virtutis semina, & initia impartiuntur; Inter habitus duplex potest considerari ordo, vnus dignitatis, alter necessitatis, si ad ordinem dignitatis respicimus, inueniemus intelligentiam, quam νοῦν. Aristoteles appellat, omnibus esse præferendam, sapientiam secundum sibi optare locum, scientiam tertium, quartum Prudentiam, postremum Artem; si verò necessitatis ordinem consideramus, econtra sese habere inueniemus; Habitus enim dignitate postremus necessitate est primus, dignitate vero primus, est necessitate postremus: Rem ita sese habere facile inueniemus, dum Naturam, & conditionem habituum accuratè considerabimus; Nam quoniam intelligentia versatur in cognitione primorum principiorum, quibus alia principia non præsunt, ideo nemini subiicitur, alio priore habitu non eget, sed ipsa veluti sol habituum ex se est conspicua, & aliis habitibus suæ lucis radios impartitur; Hanc veritatem celebri illa regula in 1. Post. declarauit Aristoteles, propter quòd vnum quodque tale est, & illud magis: Cum itaque splendor; veritas, & certitudo primo conueniat intelligentiæ, & munere eius conueniat aliis, iure intelligentia aliis est præferenda, & propterea non iniuria prima principia ob præstantiam, dignitatum nomine honestantur, ex his constare arbitror non rectè illos sentire, qui sapientiam habitũ eminentissimum affirmarunt; Et quoniam statuto primo cætera mensurantur, ac in ordinem rediguntur per accessum ad illud; cum proxima intelligentiæ sit sapientia, & adeo proxima, ut intra suos limites eam includere uideatur, & sit intelligentia tanquàm caput sapientię, iure merito sapientia secundum dignitatis gradum sibi vendicabit; ideo Aristoteles in Prohœmio Metaphy. sapientiam mirum in modum commendauit; & eam solam liberam, ac scientiarum reginam nuncupauit; & in 1. Post. eandem dixit dominam omnium; sapientiæ succedere scientiam

nemini

nemini dubium esse debet: Scientia enim proximè a sapientia recipit principia, & partem eius considerat, quòd in sapientia consideratur; Insuper scientia cum sapientia conuenit in communi fine, qui est cognitio ueritatis;miro itaque necessitudinis nexu cum ea iungitur; Propterea Aristoteles in 6. Metaphy. asseruit, remota metaphysica, quæ sapientia est, Naturalem philosophiam Principem remanere: Scientiam sequitur Prudentia, & ratio est,quoniam vt inquit Philosophus. in 6. Ethico. Prudentia cum ciuili disciplina re eadem est, sola ratione distinguitur. Disciplina autem Ciuilis a scientia recipit principia sua: & præsertim a naturali philosophia, ideo sequitur post naturalem philosophiam, Plato etiam in Menone, & alibi Prudentiam pendere a scientia manifestauit. Quòd autem præferatur Arti manifestè patet, nam finis ciuilis est honestum, finis Artis utile, honestum dignitate præfertur utili, Insuper ciuilis ob suam præstantiam digna est nomine Philosophiæ, Ars vero minimè: Demum ex usu ciuilis Prudentiæ consurgit hominis fœlicitas, non autem ex usu Artium; Quare constat Artem esse habitum dignitate postremum; Euenit sæpè tamen, ut ea, quæ sunt postrema dignitate, necessitate sint prima, quod in his habitibus manifestè seruatur, Ars habituum omnium apprimè est necessaria, & ratio est,quia Ars præsertim conducit ad esse, non ita ut per eam primo & absolute simus, sed vt vitam a natura receptam seruemus, reliqui habitus magis conducunt ad bene esse, at esse supponitur ab ipso bene esse, & apprimè dicitur necessarium, nam sine eo cætera nequeunt consistere. Propterea Aristoteles in Prooemio Metaphy. asseruit primo inuentas fuisse Artes, mox vero datam fuisse operam Philosophię; Et si quis dubitet,quia Artes dicuntur filiæ Philosophiæ, quare ante eam ortæ non sunt: Dicendum est Artes ante philosophiam fuisse rudes, & imperfectas, a philosophia autem absolutionē, & per-

& perfectionem recepisse, adeo vt Artes perfectæ, & potiores sint filiæ eius. Secundum necessitatis locum sibi vendicat Prudentia, ac ciuilis scientia, & ratio est, quoniã hæc quoq; respicit salutem, & conseruationem humani generis; Hinc ciuilis scientia magis est hominis propria, conditioniq; eius magis accommodata, quàm contemplatio: Hinc etiam prius inuentæ, formatæq; fuerunt ciuiles societates, quàm partes philosophiæ contemplatiuæ, quamuis mox per contemplationem Prudentia postremam suam perfectionem receperit. Et hæc, quæ hactenus dixi de Artium, siue scientiarum inuentione, si cum Aristotele loqui volumus, potius de restauratione, quàm de prima earum inuentione, vel saltem de inuentione in aliqua mundi parte, quàm absolutè intelligi debent; Nam Aristoteles falsò putans mundum esse æternum, etiam scientias, & Artes in hominum genere censuit esse æternas, innouari tamen in partibus, & infinities restaurari.

Constat itaq; Intelligentiam dignitate primam esse, Artem verò postremam.

E contra verò Artem esse necessitate primam, sapientiam, & Intelligentiam postremam.

Quid sit Intelligentia, & in quo versetur.
Cap. II.



QVONIAM in explicandis habitibus dignitatis ordinem seruandum duxi. Propterea à sapientia exordiens assero quemadmodum, νοῦς, siue mens est oculus internus animæ, & eminentissima facultas eius ex sui conditione, & natura ad prima respiciens, & in eis solum requiescens. Ita primorum principiorum cognitio eius maximè propria, eiusq; conditioni proportione respon-

dens ob conuenientiam cum ea, nomine quoque eius honestatur, & est veluti oculus, apex, & lumen cæterorum habituum, sine quo cæteri habitus tenebricosi, & inchoati sunt; Cum autem huiusmodi habitus omnium eminentissimus in solis primis versetur, prima autem sint duplicia, vel complexa, vel incomplexa; complexa, vt primæ enunciationes, quæ dignitates dicuntur; incomplexa vero, vt prima, & simplicissima rerum initia, in his vtrisque versari intelligentiam putandum est; propterea dicitur uersari in terminis. Prima enim termini sunt, in quos omnis humanæ scientiæ resolutio terminatur, & in eis datur status eleuationis intellectus: Ideò Aristoteles in primo Post. prima principia stare dixit, & de hoc intelligentię habitu censeo ego debere exponi Aristotelem in eodem primo Poster. dicentem, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus: Loquitur tunc Aristoteles de Intelligentia siue cognitione primorum principiorũ aduersus antiquos destruentes scientiam, & ideo inquit, ne dum dari scientiam, quam destruxerunt antiqui, & ne dum principia sciri, verum insuper dari principium scientiæ, & cognitionem illam primorum principiorum esse principium scientiæ; Est enim habitus ille, qui intelligentia dicitur, quo habitu cognoscimus terminos, hoc est primas enunciationes, quæ sunt termini omnium enunciationum; ac etiam prima, & simplicissima principia rerum; At cum intelligentiæ habitus in vtrisque terminis versetur, vt Themistius in 2. Poste. recte existimat, profectò magis conspicuè, & manifestè versatur in primis terminis complexis; intimius vero, & prius in incomplexis.

Vt itaq; suprema animæ facultas νοῦς, siue Intelligentia nuncupatur, ita quoq; suprema nostra cognitio eodem nomine iure merito honestatur.

Versatur Intelligentia in cognitione primorum, quæ sunt duplicia,

duplicia, vel complexa, vel incomplexa.

Per hæc explicatur locus in 1. Post. cap. 3.

Quomodo in nobis insit Intelligentiæ habitus Opinio Platonis. Cap. III.



CONVENIRE humano intellectui dignitatum, primorumq; terminorũ cognitionem, vt est conspicuum, ita ex aduerso latet modus, quo in nobis insit huiusmodi cognitio, & à nobis acquiratur; Censuit Plato terminos in humana anima Natura insitos esse, & solum egere hominem excitatione aliqua a sensibilibus facta, vt in eorum memoriam, & cognitionem redigatur, & quoniam eius opinio satis apparentibus nititur fundamentis, propterea latius versabor in eius explicatione, vt mox ex eius reiectione firmior, & certior veritas elucescat: Platonici gradus rerum, eorumque connexiones explicantes inquiunt, Deo succedere Mentem, Menti Animam, Animæ Naturam, Naturæ materiam; Deum ponunt suprà Ideas, Menti Ideas tribuunt, Animæ rationes, Naturæ semina, Materiæ vmbras, & imitationes Idearũ: Per rationes Animæ nostræ conuenientes inquiunt in nobis fieri Scientiam, & primorum terminorum cognitionẽ; Censent enim ipsi terminos esse rationes illas animæ insertas, & Ideas: & ideò Plato in 6. De Repub. connexionem Animæ cum illis Intelligentiam nuncupauit; & eas esse intelligibilia censuit: Sic itaque ex eorum opinione per naturam nobis conuenit terminorum, primorumque notionum cognitio; & sola egemus excitatione aliqua à sensilibus facta. Nituntur hanc eorum sententiam confirmare primo, quia in primis notionibus omnes secundum naturam dispositi conueniunt; omnes eis per natu-

ram aſſentiuntur; nec percipimus quandò in nobis produ cantur, adeò ut ſemper conuenire videantur; Præterea, id ipſum confirmatur à Platone in Phedone ex eo quia ni ſi in anima noſtra inſertæ eſſent rerum rationes nunquàm apprehenderemus eſſentiam rerum, nam ſenſus ſola accidentia nobis offerunt, ideò vt apprehendamus eſſentiam, neceſſe eſt eam in anima noſtra eſſe inſertam. Confirmatur ex naturali appetitione Scientiæ: non enim per naturam intrinſecus ad Scientiam commoueremur, niſi intrinſicus, ac in animæ eſsentia inſertæ eſsent rationes, & termini rerum: Præterea id ipſum patere poteſt ex naturali quadam noſtri intellectus determinatione ad partem veram potius, quàm ad falſam, quòd minimè ei conueniret, niſi in eo inſerta eſset veri ratio. Præterea eadem ſententia confirmatur conſiderando conditionem humani intellectus; proculdubio intellectus noſter immortalis, & diuinitatis particeps eſt, huiuſmodi eſsentia nil noui in ſe tanquàm in ſubiecto recipere poſse videtur: propterea ſi denuò intelligit putandum eſt id ei conuenire per rationes ſibi coæternas, ac in eius eſsentia inſertas: Demum id oſtendi poteſt ratione ſumpta ex rerum integritate, & perfectione; in omnibus enim ſeruare licet, nil à Deo, vel à natura produci, quod ſit ſua perfectione deſtitutũ; cum autem anima rationalis à Deo pendeat, ac præſtantiſſima ſit, ſua perfectione per naturam deſtituta eſse non debet, ſua perfectio ex intelligibilibus pendet, neceſse itaq; eſt, vt ſit ſuis intelligibilibus inſignita, & decorata.

Quare ex Platonis ſententia rationibus comprobata, cognitio fit per rationes, & terminos in animæ eſsentia inſertos à ſenſilibus excitatos.

Et intelligentia, ſiue axiomatum veritas eſt nobis per naturam inſita, & ſola egemus excitatione per externa ſenſilia.

Reiicitur

Reiicitur opinio Platonis. Cap. IIII.



VAMQVAM non defuerunt viri docti: qui relatam opinionem nedum veram existimarunt, verum etiam ab Aristotele approbatam; attamen firmiter asserendum censeo, eam nec veram, nec Aristoteli vllo pacto consentaneã esse; quòd à vero dissentiat ex eo patet, quoniam nos ducimur in cognitionem pertinentium ad animam per externa obiecta, & per eius actiones; externa obiecta, & actiones indicant animam omnino esse potestate, nil includere actu, cùm ab externis obiectis moueatur, patiatur modo aliquo, & perficiatur: Præterea huiusmodi formæ insertæ per naturam in essentia animæ, vel sunt essentia rerum scibilium, uel nè, si non sunt earum essentia, minimè ex earum apprehensione dicemur apprehendere essentiam rerum: si sunt rerum essentia, vt inquiunt Platonici, apprimè hoc videtur absurdum, non enim rei mortalis essentia est aliquid æternum, cum mortale, & ęternum secernantur generè, vt in calce decimi Metaphy. docuit Philosophus. Præterea in natura nil frustra, nil superuacaneum poni debet, cum autem sine huiusmodi formis seruentur omnia ad humanam scientiam, siue Intelligentiam pertinentia, vt seruari videntur per fundamenta Aristotelis, iure huiusmodi in anima insertę rationes, superuacaneæ censeri debent, iureq; sunt reiiciendæ. Non enim ferè vniuersum hominum genus in ignorantiæ pelago mersum esset. nec tam pauca nobis essent conspicua, & explorata, nec tantoperè laboraremus, pro scientiarum adeptione, si intelligibilia, si rerum veritas, si rerum rationes insertæ essent in nostra anima; Longè etiam

minus putandum est hanc fuisse sententiam Aristotelis, primò, quia nullam Platonis opinionem tam exactè reiecit, quàm illam de Ideis; at intelligibilia in animæ essentia inserta Ideas supponunt, ab Ideis pendent, eisq; respõdent, maximè itaq; aduersantur fundamentis eius. Præterea Aristoteles explicans naturam, & conditionem nostri intellectus, manifestat eum omnino esse potestate, necessario esse denudatum ab intelligibilibus, esse locũ specierum solum potestate non actu, se habere perinde ac tabellam, in qua nihil scriptum sit: Nec satisfacit euasio Plotini, Simplicii, Plutarchi Lydi, & aliorum, qui inquiunt, ea, quæ ab Aristotele tribuuntur intellectui possibili, illi conuenire, quoniam declinauit, & progressus est ab Anima in se manente; nam in Anima in se manente seruantur rationes illæ, & formæ intelligibiles, in intellectu autem progresso, & recedente à se ipso, non seruantur, nisi cum progressione tectæ, & obumbratæ, adeo vt ei conuenire non videantur. Hæc inquam euasio nulla est, primò, quia nihil eo nudari potest, quod in sua essentia est insertum, nihil à sua essentia dicitur recedere, rationes in anima à Platonicis excogitatæ, sunt eædem cum essentia animæ, quare quouis modo anima se habeat, nunquam poterit dici nudata eis. Præterea quod ex sui natura est natum aliquid recipere, ex sui natura debet eo esse nudatum, intellectus ex sui natura, & conditione est natus omnia fieri, quare ex sui natura debet omnibus esse denudatus. Confirmatur, quia si intelligibilia in anima primò laterent, vt in Geometra ebrio, mox apparerent, anima non absolutè diceretur ea fieri, sed solum ab impedimento liberari, vt Geometram primo ebrium mox factum sobriũ non dicimus Geometriam didicisse, At de nostro intellectu absolutè inquit Aristoteles omnia fieri; Præterea Aristoteles in Primo Posterio. inquit vt detur demonstratio, & scientia, non est necesse vt dentur Ideæ, vel huiusmodi

ratio-

rationes ſupponentes Ideas, ſed ſat eſt vt ſit unum in multis; & apprimè Ariſtoteles fuiſſet diminutus ſi putaſſet in anima reperiri huiuſmodi intelligibilia, & nunquam ea manifeſtaſſet, nunquam oſtendiſset per ea nobis cognitionem conuenire, ſed oppoſitũ potius ſemper aſſeruiſſet; Demum hoc manifeſtiſſime patet, ex calce 2. Poſter. vbi verba faciens Philoſophus de hoc intelligentiæ habitu, ac de eius acquiſitione, inquit nequaquam nobis per natũ ram eſſe inſertam cognitionem primorum principiorum, ſed acquiri; nec latere prius in nobis, mox manifeſtari, ſed denuo gigni.

Colligamus itaq; Platonis ſententiam, nec veram eſſe, nec principiis Ariſtotelis conſentaneam.

Et decipi eos, qui hac de re Ariſtotelem cum Platone nituntur conciliare.

Soluuntur rationes aduerſæ; & explicatur quomodo poſsimus dicere primorum principiorum cognitionem nobis per naturam conuenire. Cap. V.



VEMADMODVM difficile non eſt opinionem illam Academicorum reiicere, ita non eſt difficile eorum fundamentis ſatisfacere; quod vt clarius pateat, & facilius à nobis fiat, conſiderandum eſt Naturam rebus omnibus facultatem, & initia tribuere, per quę valeant cumulate ſe perficere, & proprium finem aſsequi, non autem ſemper omni perfectione eas donare; nam perfectio, & abſolutio rerum, duplex eſt, una interna, & hæc proximè, & ſemper à natura proficiſcitur, niſi impediatur; altera externa, quæ ex principiis oritur, per naturam rebus inſertis; Hæc duo perfectionum

genera

genera in hominis anima cumulatissime inueniuntur; ea enim ita sui natura constituta est, vt prædita sit facultate assequendi perfectionem suam: Est anima intrinsecus, & quatenus ad eius essentiam pertinet, omni ex parte absoluta; externa tamen perfectio qualis est intelligentia, & habitus omnis, per facultates proprias sibi per naturam conuenientes, adhibita cura, & diligentia acquiri debet; Eorum, quæ ab anima nostra sunt cognoscenda nonnulla in tot rebus, & tam apertè ei offeruntur, ac anima tam aptè parata est, ad ea cognoscenda, vt quàmprimum ei oblata fuerint, de illis valeat certum iudicium tradere. Hoc primo seruare licet in sensu, qui sine præcurrente alia cognitione sensilia propria sine errore iudicat: & inter cæteros oculus lucem sibi familiarem ita cognoscit, vt ea mediante cætera omnia intueatur, & iudicet. Id ipsum euenire menti putandum est, dantur enim nonnulla, quæ ad mentis aciem perinde se habent, ac lumen ad corporeos oculos; Huiusmodi sunt primæ enunciationes, & axiomata, quæ adeò manifestè, & in tot rebus menti offeruntur, & adeò sui natura mens ad ea iudicanda est parata, vt quàmprimum in ea sui aciem conuertit, procul ab omni hæsitatione eis assentiatur, & propterea de illis consentiunt omnes secundum naturam dispositi, nec valemus dicere quando ea didicerimus; quia quamprimum sese nobis obtulerunt, eorum veritatem iudicauimus, seruando tamen modum explicatum ab Aristotele in calce 2. Poster. & dum quæritur an cognitio illorum nobis per naturam conueniat, vtendum est distinctione, nam aliquid nobis per naturã conuenire duplici modo contingere potest; primò, quod verè res illa semper conueniat, vt igni calor; vel vt nobis conueniat ad rem illam facultas tali modo, vt absq; alterius habitus auxilio ad actum illũ parati simus, vt igni conuenit ferri sursum, & homini videre; Primorum principiorum cognitio conuenit nobis per naturam

non in

non in prima, ſed in ſecunda ſignificatione, ex qua explicatione patet ſolutio difficultatum, conſtat enim cur omnes in axiomatum veritate conueniamus, cur non valeamus iudicare quado in nobis parta ſit eorum cognitio; & quomodo dici poſſit per naturam nobis conuenire. Ad Platonem in Phedone aſſerentem, niſi in nobis inſertæ eſſent rationes rerum, minimè valeremus apprehendere earum eſſentiam, id iure inficiari debemus, quoniam ex accidentium, & ex actionum notitia perducimur in cognitionem ſubſtantiæ, vt principii eorum, veluti per opera cognoſcimus Deum, quamuis Dei, neq; etiam ex Platonis ſententia detur Idea: Inſuper in Platonem reflectitur argumentum, quia ſi nobis cognitio conueniret per rationes in anima noſtra inſertas non valeremus cognoſcere eſſentiam rerum, cum illæ rationes eſſentia rerum extra animam exiſtentium eſſe non poſſint, non enim æternum eſt eſſentia rei mortalis. Ad confirmationem ſumptam ex naturali appetitione ſcientiæ. Reſpondeo primò, omnia per naturam expetere ſuam perfectionem, & eſſe procliuia, & facilia ad munerum functiones ex propria facultate prodeuntes. Reflecto deinde argumentum, aſſerens ſi in nobis inſertæ eſſent rerum notiones, & formæ, non eas per naturam expeteremus, appetitus enim priuationem expoſcit; Ad aliam confirmationem, quia intellectus per naturam potius parti veræ, quàm falſæ adhæret; Reſpondeo iure hoc fieri, pars enim vera reſpondet naturæ rerum, & eſt ac commodata rectè diſpoſitioni intellectus, iure itaq; ei per naturam magis aſſentitur; Inſuper retorqueo argumentum, quia ſi nobis inſerta eſſet rerum veritas, non tam diu in ignorantia merſi eſſemus, nec tam pauca tanto labore, tantaq; dubitatione cognoſceremus & præſertim ex ſentẽtia Academicorum, qui nil certi de rebus poſſe dici exiſtimarunt. Ad rationem ſumptam ex conditione noſtri Intellectus, qui eſt æternus, & immortalis, & ideo nil noui

valet recipere; Respondeo intellectus ex sententia Aristotelis nil noui recipit, vt subiectum accidētium, sed denuo multa iudicat, vt obiecta, & hoc ei conuenit ob nexum cum re mortali, & ideò non intellectus dicitur intelligere, sed homo per intellectum. Reflecto deinde argumentum in Platonem, si intellectus cum sit æternus insertas haberet in sui essentia formas rerum, quoniam nihil à sua essentia recedere valet semper eas sibi haberet familiares, continenterq; eas intelligeret, cum hoc non faciat, iure colligendum est, eas non esse insertas in essentia illius; Ad rationem postremam sumptam ex rerum perfectione. Respondeo perfectionem internam attinentem ad essentiam rerum à natura tribui, externam verò proficiscentem ex principiis à natura tributis, non semper rebus per naturam conuenire, nec insertam esse in essentia rerum; Reflecto deinde argumentum hunc in modum; quæ sunt inserta in essentia rei semper insequuntur naturam eius, & semper ei conueniunt, intelligibilia, & rerum notiones erga animam non sic se habent, sed variis permutationibus, & innouationibus sunt obnoxię, non itaq; sunt per naturam insertæ in eius essentia.

Colligamus itaq; Axiomatum cognitionem nobis modo aliquo per naturam conuenire, modo alio minimè.

Addamus fundamenta, quibus Platonici nituntur, ostendere in anima nostra insertas esse rationes rerum, potius opinionem Platonis euertere, quàm confirmare.

Quæ

Quæ sint principia prima complexa. *Cap. VI.*



VAMVIS demonstrationum, scientiarumq; proxima principia, varia, & multa sint;tamen si ad ea conuertimur, quæ absolutè sunt prima, & solis instar ad reliqua sese habent, paucissima esse inueniemus; quod vt appareat, ita progrediendum censeo; Principia complexa vel sunt de ipso est secundo adiacente, & simplicissima penitus sunt, vel includunt maiorem compositionem: si primo modo se habent, ea possunt esse prima dupliciter, vel absolutè, & ex natura rei, vel ex parte nostræ cognitionis: Absolutè, & ex natura rei prima, adhuc possunt esse duplicia, vel quoad dignitatem, & naturam rerum, sic prima hæc erit, Deus est, vel quoad abstractionem factam per nostrum intellectum, & prima erit ens est: Si vero considerantur huiusmodi principia, vt sunt prima ex parte nostræ cognitionis; sic prima hæc erit calidum est, vel hæc frigidum est, hæc enim ea sunt, quæ primo nobis occurrunt, faciliusq; cognoscuntur quamprimum in lucem venimus, quod indicauit Aristoteles in 3.de Anima. contex.10. motus est, & multa entia sunt, non ita sunt prima, quia sunt de sensilibus communibus, quorum cognitio supponit cognitionem propriorum. Loquendo verò de Enunciationibus primis, quæ non sunt de ipso est secundo adiacente, sed magis sunt complicatæ, earum, quæ prima sit non manifestè constat; Proculdubio Enunciatio prima, præsertim post elaboratam abstractionem ex terminis constare debet communissimis denotantibus res absolutè primas, & conspicuas; huiusmodi autem est ens, & propterea vt in 4.Metaphy. contex. 7. inquit Aristoteles,

ad metaphyſicum pertinent principia prima, ut ad eum quoque pertinet entis conſideratio; De eo, quod eſt duplex formari poteſt Enunciationum Genus, vnum cum nugatione, vt dicendo ens eſt ens, quæ Enunciatio apprimè eſt conſpicua, vt enim inquit Boetius nulla eſt uerior Enunciatio, illa, in qua idem dicitur de ſe ipſo, eſt profectò veriſſima, & eius veritas eſt maximè conſpicua, ſed eſt cum nugatione, & inanis, & propterea negligenda; Alterum Genus eſt ſine nugatione, in quo genere duo occurrunt Enunciationes, quæ de principatu inter ſe pugnant, vna eſt affirmatiua, altera negatiua; . Affirmatiua eſt, de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe. Negatiua eſt, de nullo ſimul dicitur eſſe, & non eſſe; Cenſent nonnulli affirmationem eſſe priorem, quia affirmatio eſt ſimplicior, nec ſupponit negationem: negatio vero eſt compoſita magis, & ſupponit affirmationem, oportet enim id ipſum negationem negare, quod affirmauerit affirmatio, vt dicitur in Libro de Interpretatione, ideo Ariſtoteles in eodem libro, inquit: Eſt autem vna prima Enunciatio affirmatio, deinde negatio, indicans affirmationem priorem eſſe negatione. Ex aduerſo alii inquiunt Enunciationem illam cum negatione eſſe priorem. quoniam Ariſtoteles in 4. Metaphyſic. contex. 9. referens Enunciationem primam, & firmiſſimam eam refert, quæ eſt cum negatione, & inquit omnes demonſtrationes in eã, vt in poſtremam, & firmiſſimam cuncta redigere, & eam eſſe ſui natura principium cæterarum omnium dignitatum; Confirmatur hæc opinio, quia dum res latent, facilius eſt cognoſcere quid non ſint, quàm quid ſint; ideo Deus, & materia per negationem explicantur: Reſpondens ad hanc difficultatem, dico eas duas Enunciationes, quarum vna eſt affirmatiua, altera negatiua, dupliciter poſſe conſiderari, primò ſub ratione enunciationis, in qua conſideratione affirmatio prior eſt, ut patuit, non enim Doctiſſimo Fracaſtorio

ſtorio,& aliis nonnullis aſſentior, qui negationem præferunt affirmationi: Secundo aſsero, poſse conſiderari ſub ratione conſpicuæ veritatis, in qua conſideratione cum Ariſtotele priorem cenſeo Enunciationem illam negatiuam, & ratio eſt, quoniam falſitas Enunciationis oppoſitæ, eſt magis conſpicua, huius ſcilicet: De eodem ſimul vere dicitur eſſe, & non eſſe, nam oppoſitio inter eſſe, & non eſſe, eſt apprimè nota, & maximè patet ea oppoſita ſimul eidem conuenire non poſſe. Non autem ita ſe habet, de affirmatiua dignitate, quæ erat, de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe, & de mendacio oppoſitæ eius; Videlicet, non de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe; nam quis ſuſpicari poſſet materiam, & alia nonnulla, nec abſolutè eſſe, nec abſolutè non eſſe. Iure itaque Ariſtoteles negationem dixit primam, & firmiſſimam: quod etiam ex eo confirmatur, quoniam dignitas illa, de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe, præſertim inſeruit demonſtrationi ducenti ad abſurdum, vt in primo Poſter. a Philoſopho aſſeritur: altera uero maximè inſeruit demonſtrationibus rectis, & earum abſolutio eſſe dicitur. Demonſtratio autem recta eſt prior demonſtratione ducente ad abſurdum: Neque nos ab hac ſententia remouet, eorum ratio, qui inquiunt non poſſe negationem eſſe dignitatem primam, quoniam vt priuatio per habitum, ita negatio per poſitionem, & affirmationem aliquam cognoſcitur, & propterea ſemper affirmatio prior eſt. Nam ad hoc dico, quamuis negatio per præcedentis poſitionis cognitionem eluceſcat, tamen dum cognoſcimus de nullo ſimul uere dici poſſe eſſe, & non eſse, huius dignitatis cognitio non pendet ex cognitione affirmationis alterius dignitatis, a qua minimè pendet, ſed ex cognitione terminorum, & partium ſuarum, quæ rem aliquam ſignificant.

Colligamus itaq; principia complexa multiplici conſideratione poſse dici prima, propterea modo unum, modo

do alterum iure merito primum iudicari poſse.

Inter principia complexa de ipſo eſt ſecundo adiacente, hoc eſt primum ex natura rei, Deus eſt.

Quo vero ad abſtractionem intellectus hoc eſt primum, ens eſt.

Si uero reſpicimus ad ordinem noſtræ cognitionis, & originem eius, primum principium erit, calidum eſt, ſiue frigidum eſt.

Loquendo uero de dignitatibus magis complexis, & perpendendo quarum ueritas prior, & certior ſit, aſsero cum Ariſtotele hanc eſse dignitatem primam: De nullo ſimul dicitur eſse, & non eſse.

Quomodo dignitates à nobis cognoſcantur. *Cap. VII.*



IAE, & methodi noſtræ cognitionis duæ ſunt, ut in primo de moribus ex ſententia Platonis, & propria affirmauit Ariſtoteles una eſt ab initio ad finem altera è contra à fine, ſiue à poſtremis ad initia. Dum progredimur in cognitionem primorum principiorum, non ualemus ad ea tendere uia ſumpta à principiis, quoniam primorum principia non ſunt, qui enim omnium dicit eſſe principia deſtruit principia, ut rectè Theophraſtus, & Eudemus affirmarunt, ueluti etiam, qui omnium aſserunt eſse demonſtrationem deſtruunt demonſtrationem; Quare in cognitionem primorum principiorum cogimur progredi per poſteriora, adeò ut ad ea ſolum aſcendere, minimè autem deſcendere ualeamus: Cognoſcuntur prima principia inſtrumento ſenſuum per inductionem, quatenus ex ſingularibus colliguntur, ut in calce 2. Poſter. docet Philoſophorum: quare eorum quoque cognitio eſt

cum

cum discursu, & ex præexistente cognitione. Sed est dubitatio primo, quia dignitates dicuntur ex se notæ, & conspicuæ, quod autem ex se tale est, non redditur tale per aliud. Præterea ea cognitio, quæ est principium cognitionis alterius est certior, eminentior, & præstantior illa, cuius est principium, quoniam ut inquit Aristoteles in primo Poster. loquens de principiis scientiæ; propter quod vnumquodque tale est, id magis est; at nil certius, firmius, & præstantius cognitione dignitatum: Postremo dubitatur an primorum principiorum sint modo aliquo principia; & si eorum dantur principia, quomodo dici possunt principia prima, & indemonstrabilia. Pro solutione accipiendum est, quòd cognoscere per aliud contingit dupliciter, vel tanquam per instrumentum, vel tanquàm per causam præcipuam, & propriam cognitionis alterius: hoc secundo modo se habent principia demonstrationis relata ad affectionem, quæ per ea demonstratur; altero verò se habent sensuum cognitiones ad intelligentiã dignitatum, nam per sensus habemus indiuiduam quandam cognitionem terminorum dignitatis: adeò vt instrumento eorum dignitas conuenienter offeratur intellectui, ex qua conuenienti ablatione sequitur vt Intellectus iudicet id esse de ratione eorum, vt puta esse de ratione entis, & non entis, vt eidem simul conuenire non possint, hoc non propriè cognoscitur à sensu, sed ab intellectu instrumento sensuum; nam ex conuenienti oblatione eorum in quibus dignitatem refulgẽt colligit intellectus cognitionem dignitatum potiorem, & firmiorem cognitione sensuum, propterea dixit Aristoteles in calce 2. Poster. necesse itaq; est nos habere quandam potentiam, non talem tamen habere, vt sit his honorabilior certitudine; &c. noluit itaq; Aristoteles cognitionem sensuum ita esse certitudine honorabiliorem cognitione dignitatum, vt harum cognitio est certior cognitione conclusionis demonstrationis.

tionis. Insuper considerandum, quòd quamuis in primo occursu nobis notiora sint singularia, & indiuidua, quæ sensibus vsurpantur, tamen dum rectè oblata sunt intellectui principia prima, & cognitum est quòd veritas est de ratione earum, longè exactius, & certius eis assentimur, & dicimur ea cognoscere, quàm indiuidua solo sensu percepta, Propterea dixit Aristoteles in 6. Topicorum. Cap. 3. Amplius eisdem alia, interdum alia magis nota, nam à principio quidem sensibilia, instructioribus autem factis, è contra &c. Ex his colligo solutiones difficultatum; Ad primam dum dicitur principia ex se nota esse; Respondeo illud ex se in cognitione principiorum excludit cognitionem per priora, & certiora principia, non autem excludit opem, & auxilium sensuum modo iam explicato, adeo ꝙ sunt ex se nota cum rectè fuerint oblata intellectui rectè disposito nato ex sui natura illis assentiri; Ad secundum dubium dum dicitur; propter quod vnumquodq;, & illud magis: &c. Respondeo regulam esse veram de præcipua causa, non de instrumento; profertur.n. ab Aristotele ea regula de illis, quæ sunt ab vno, quorum primum est verè causa subsequentium. Ad postremam dubitationem dum quæritur, an primorum principiorum sint principia; Respondeo ea habere quidem principia; nam acies intellectus dicitur esse primum principium cognitionis eorum, propterea Themistius in primum de Anima dixit scientiam de anima esse certissimam, quia cæteræ scientiæ ab ea constantiam, & certitudinem reponunt, quæ sententia eatenus est vera, quatenus ex cognitione humanæ mentis valemus iudicare, quomodo assentiamur primis principiis. Insuper dignitates habent causam in genere materiæ, & sunt termini ex quibus constant, & in alia consideratione materia earum est facultas, animæ, cui inhærent. Demum habent causam sumptam pro origine cognitionis earum, & est cognitio indiuiduorum per sensus, ea tamen

est causa

est causa instrumentaria; cum itaq; modo aliquo principiorum, sint principia, ac vt habent principia non sint prima, tamen quo ad id quod sunt vera, conspicua, ex se nota, non per priora demonstrabilia, non nata quoad veritatem eorum in priora principia resolui, iure meritò prima, ac su per demonstrationẽ collocata esse dicuntur; ea enim quæ modo aliquo dignitatum dicta sunt esse principia, non sunt principia demonstrationis earum, cum non sint causæ affectionis, vel quod prædicatum subiecto conueniat; quod si Aristoteles in 1.Poster. Cap.8. inquit metaphysicum demonstrare communia principia, vt hoc de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, asserendum est ea nõ propriè demonstrari, sed ostendi ad hominem perperam dispositum, deducendo eum in contradictiones, & conspicua absurda, vt facit Arist. in 4. metaphy.

Colligamus itaq; Axiomata instrumento sensuum per inductionem ex sensibilibus colligi.

Addamus cognitionem sensuum non esse certiorem, nec honorabiliorem cognitione Axiomatum, immò nec eius propriè causam.

Demum constat Axiomatum esse quidẽ principia, & causas, non ita tamen vt per eas demonstrari possit quòd vera sint.

An Axiomata ingrediantur demonstrationem. Cap. VIII.



IVRE in dubium reuocant viri docti an Axiomata, siue effata demonstrationẽ ingrediantur, vel ne; nam ex vna parte eam ingredi necessario videntur, ex altera id fieri minime posse apparet; quòd demonstrationem ingrediantur patet, authoritate Aristotelis, qui in

1. Poster. dixit demonſtrationem conſtare ex primis indemonſrrabilibus; mox explicans ea, quæ principium demonſtrationis dicta fuerunt, dignitatem, & poſitionem enumerat. Quod etiam confirmauit cum dixit, in demonſtratione tria inueniri, dignitates, ſubiectum, & affectionem; Inſuper cum dixit principia inferiorum ſcientiarum, habere commune aliquod, & ſcientiam de communibus eſse dominam omnium; indicans metaphyſicam, quæ in primis verſatur, & per abſolutè prima oſtendit: Hinc nuncupatur ſapientia, quæ eſt ſcientia capite prædita, quatenus in prima principia reſoluit, & proxime per ea oſtendit; Inſuper dixit demonſtrationem debere conſtare ex primis, quia ſi demonſtrationis principia non eſsent prima, non ſciremus, niſi haberemus demonſtrationem eorum; Ex quo ſequitur prima principia neceſsario ingredi demonſtrationem; quod confirmatur, quoniam in ſcientiis nos prima quærimus, nitimur reſoluere in ea, & nunquam requieſcimus, niſi ad ea deuenerimus, id autem vltimum in quod ſcientiarum fit reſolutio proculdubio debet demonſtrationem ingredi; vnumquodq; enim in ea ſolum reſoluitur, ex quibus conſtat. Demum id ipſum patere poteſt ex eo, quia ſolum veritas, & cognitio primorum principiorum dicitur Intelligentia, & melior diſpoſitio, quàm ſcientia, poſita vero ſub eis per ſcientiam cognoſcuntur, & habitus ſcientię per demonſtrationem acquiritur; quare omnia ſub primis principiis poſita per demonſtrationem cognoſcuntur, & conſequenter effata, & prima principia demonſtrationem ingrediuntur. Ex aduerſo non videntur ingredi demonſtrationem, quoniam inquit Ariſtoteles in Proœmio de Anima contex. 11. & confirmauit in 13. libro metaphy. omnis demonſtrationis principium eſſe quid eſt, ſiue definitionem; Axiomata nõ ſunt definitiones, vt ex ſe patet, & ab Ariſtotele aſſeritur in 1. Poſter. diuidente principium demonſtrationis in dignita-

tem, &

tem,& poſitionem; mox poſitionem in ſuppoſitionem, & definitionem; eſt itaq; definitio pars membri contradiſtincti à dignitate. Confirmatur quoniam dignitates mathematicæ minime ingrediuntur mathematicas demonſtrationes, inquit enim Ariſtoteles in 2.Phy.68.mathematicas ſcientias reſoluere demum ſua quæſita in quid eſt, hoc eſt in definitiones, quod non contingeret ſi eorum demonſtrationem ingrederentur dignitates; poſtremo enim in dignitates fieret reſolutio; ſi dignitates mathematicæ non ingrediuntur demonſtrationes mathematicas,pari ratione,neq; dignitates aliarum ſcientiarum,eam ingredientur. Præterea ſi dignitates ingrederentur demonſtrationem,deberent eſſe per ſe,vel in primo,vel in ſecundo modo dicendi per ſe, quæ enim ſunt per accidens demonſtrationem non ingrediuntur, at neutro modo dignitates videntur eſſe per ſe, vt per eas digredienti redditur notum, nam ſi dignitatem illam conſideramus, quam primam ſtatuimus, & eſt, de nullo ſimul eſt vera affirmatio, & negatio, proculdubio per ſe eſſe non videtur, vt neq; illa, de quolibet vera eſt affirmatio,vel negatio, cum nec prædicatum ſubiecti,nec ſubiectum videatur eſſe cauſa prædicati. Confirmatur, quoniam per ea principia res ſciuntur, per quæ ſunt; omnis enim quæſtio, eſt quæſtio cauſæ, omnis cauſa talis eſt, vt ab ea in ſuo genere res pendeat, vel quo ad eſſe vel quo ad fieri dignitates non ſunt primæ cauſæ, quibus res ſint vel fiant non itaq; debent ingredi demonſtrationem;nam ſcire eſt per cauſam, & demonſtratio eſt ex cauſis: Præterea ſi dignitates demonſtrationem conſtituerent, vtiq; conſtituerent demonſtrationem præſtantiſſimam, in perfecta demonſtratione omnes termini debent eſſe reciproci,quare ſi ea dignitas de quolibet eſt vera affirmatio vel negatio demonſtrationem ingreditur, quia eius termini ad omne,quod eſt extenduntur, demonſtrationem ex ea ſolus formabit metaphy. eamq; forma-

bit de omni eo,quod eſt,quam demonſtrationem minime conſpicimus Ariſtotelem in metaphyſica formaſse. Confirmatur, quoniam Ariſtoteles in 1. Poſter.inquit hac dignitate,de quolibet dicitur eſse, vel non eſse, eam vti demonſtrationem,quæ ducit ad abſurdum,quare videtur aſſerere eam non ingredi demonſtrationem rectam: at demonſtratio ducens ad abſurdum vt recte Auerroes ait, non exacta eſt demonſtratio, ſed redigitur ad demonſtrationem quia. Inſuper inquit in eodem loco Ariſtoteles alteram dignitatem, quæ eſt de nullo ſimul dici eſse, & non eſse,non ingredi demonſtrationē, niſi velimus oſtendere concluſionem ſic, quod de ſubiecto ſit vera affirmatio affectionis,non autem negatio,vt ſi vellemus oſtendere animam eſse æternam, non autem non æternam; At cum hoc dicat Ariſtoteles manifeſte indicat eam dignitatem non ingredi demonſtrationem,vt principium,vel medium eius,ſed ſolum ingredi ex parte affectionis,& maioris termini,qui maior terminus,ſiue affectio nō eſt principium demonſtrationis,ſed eſt id,quod demonſtratur. Conſtat itaq; dum ambigimus an dignitates ingrediantur demonſtrationem rem eſse apprimè dubiam, & extare rationes magni ponderis pro omni parte.

Opiniones nonnullæ referuntur, & in dubium vertuntur. Cap. IX.



X rerum quæ conſiderantur difficultate, ortum ducunt opiniones uariæ, propterea de propoſita quæſtione inquiunt nonnulli dignitates ingredi demonſtrationem uirtute, nō autem, ut partes, & principium aliquod demonſtrationis; quæ ſententia dubia eſt, quoniam ſi virtute ſolum demonſtrationem ingrediuntur, eatenus uirtute

tute

tute dicentur ingredi, quatenus ope, & auxilio earũ pro-
positionibus, demonstrationis firmiter assentimur, at si
propositiones per dignitates sunt certæ, & firmæ, etiam
per dignitates poterunt demonstrari, alioquin per eas
constantiam non reciperent; Præterea Aristoteles in
primo Posterior. asserit in demonstratione, non uirtu-
te solum, sed actu tria inueniri, dignitates, subiectum,
& affectionem. Insuper rationes supra adductæ osten-
dunt dignitates ingredi demonstrationem non sola uirtu-
te, sed tanquam eius principia, propterea inquiunt alii,
quod nisi demonstrationem ingrediantur duæ illæ digni-
tates primæ, ingredientur saltem aliæ: Insuper inquiunt
ex dignitatibus confici demonstrationes non primæ, sed
secundæ mensuræ, & minus perfectas: perfectiores ve-
rò confici ex propriè sumptis definitionibus; Addunt po-
stremò Aristotelem definitionis nomine, dum dixit om-
nis demonstrationis principiumesse definitionem, deno-
tasse definitionem latè sumpta, quæ extenditur etiam
ad dignitates; nam dignitates inquiunt posse dici defini-
tiones,& terminos,quatenus sunt primæ ex se conspicuæ,
in quas fit resolutio, & ad quas terminatur nostra intelli-
gentia; Hæc sententia, ut pertinet ad primum dictum,in
quo ponitur resolutio difficultatis non differt ab alia su-
pra relata, & reiecta; nam qui inquiunt dignitates solum
virtute ingredi demonstrationem,de primis dignitatibus
loquuntur, non de aliis: Vt verò pertinet ad alia duo di-
cta, ea profectò apprimè dubia sunt, ac ut censeo minus
vera. Dictum illud quod demonstratio ex dignitate sit
minus perfecta, dubium est, quoniam Aristoteles in pri-
mo Poster. inquit oppositum, ait enim in cap. 7. quare ex
his constat, quod non est demonstrare vnumquodque sim
pliciter, aliter quàm ex propriis vniuscuiusq; principiis,
sed horum principia habent cõmune, & post pauca,erunt
enim illa omnium principia, & scientia eorum domina

om-

omnium, & nanq; ſcit magis ex ſuperioribus cauſis ſciẽs, ex prioribus enim ſcit cum non ex cauſatis ſciat cauſis, quare ſi magis ſcit, & maximè, & ſcientia illa erit,& magis, & maximè: hæc Ariſtoteles, qui loquens de dignitatibus communibus, quæ pertinent ad Metaphyſicam, vt dicitur in quarto Metaph.aſserit cognitionem per illas maximè eſſe ſcientiam; & confirmatur, quoniam cognoſcere per dignitates primas nuncupatur altiori nomine, quàm ſcientia, dicitur enim ſapientia, quæ eſt ſcientia capite, & poſtrema perfectione prædita: Confirmatur id ipſum per regulam Ariſtotelis in primo Poſterio. propter quod unumquodque, & illud magis, at ex primis principiis,cætera omnia fidem,& certitudinem ſuſcipiunt, ideò ſe habent lucis inſtar, quæ ex ſe conſpicitur, & virtute eius conſpiciuntur alia. Poſtremum quoque eorum dictum verum non eſt, quod ſcilicet Ariſtoteles definitionis voce latè vſus ſit, & denotauerit omnes terminos, & principia prima, in quæ reſoluitur demonſtratio, nam Ariſtoteles in primo de Anima, dum profert eam ſententiam de propriè ſumpta definitione loquitur, & eam non appellat tunc terminum, ſed quid eſt, inquit enim omnis demonſtrationis principium eſt, quid eſt, & in 2. Phyſi. 68. inquit mathematicum vltimò reſoluere in quid eſt,ut in definitionem recti commenſurabilis, & ſimilium, patet itaque Ariſtotelem denotaſſe propriè ſumptas definitiones.

Breuibus autem colligens ea, quæ dixi, Aſsero primo dubiam eſse eorum ſententiam, qui inquiunt dignitates ſolum uirtute ingredi demonſtrationem.

Dico ſecundo demonſtrationem ex dignitatibus non eſse deteriorem demonſtratione ex definitionibus.

Addo tertio Ariſtotelem denotaſse propriæ ſumptam definitionem, dum dixit omnis demonſtrationis principium eſse definitionem.

Reſo-

Resolutio difficultatis. *Cap. X.*



T demum de re satis obscura dicam quod sentio; Accipiendum primo est, dignitatem esse duplicem, vel communem omnium scientiarum, vel propriam alicuius particularis scientiæ: Diuisio est Aristotelis in primo Poster. cap. 8. Dignitas communis omnium dicitur propria metaphysicæ, quæ in omnibus versatur, & omnibus præest, huiusmodi sunt illæ duæ dignitates, de quibus in præcedentibus frequenter facta est mentio, quæ ad omne quod est extenduntur, de quibus præsertim uera est sententia Aristotelis in primo Poster. quod necesse est omnem addiscentem eas possidere, ac sibi familiares habere; Hoc præassumpto dico primo dignitatem omnem vel communem, uel propriam posse actu ingredi demonstrationem. Dico secundo raro eas demonstrationem actu ingredi, uirtute uero semper: Addo tertio demonstrationem ex dignitate non esse secundæ mensuræ, & minus perfectam aliis: Probo hæc omnia, ut pertinet ad primum, manifestissimè asseritur ab Aristotele in primo Poster. cap. 2. vbi principium demonstrationis sumptum in definitione demonstrationis declarãs, enumerat dignitatem, vt potiorem partem eius, cum enim Aristoteles dixisset demonstrationem constare ex primis immediatis, declarans quæ sint ea prima immediata ex quibus constat demonstratio, primo enumerat dignitates, at proculdubio Aristoteles ibi declarabat id principium demonstrationis, quod sumptum erat in eius definitione, id autem principium sumitur in definitione demonstrationis, quòd actu eam ingreditur non potentia solum; Insuper id ipsum manifestè affirmat Aristoteles

teles in 3.Metaphysic.contex.4. inquiens, dico sententias communes ostensiuas, ex quibus omnes demonstrant, ut quod de eodem necesse est affirmare, aut negare, & non posse de eodem uerã esse affirmationem, & negationem. Præterea vt dignitates propriæ sese habent ad particulares,& proprias scientias ita communes ad communem: at conspicuum est dignitates Physicas veluti ex nihilo nihil fieri,dignitates mathematicas, vt si ab æqualibus æqualia demas remanentia sunt æqualia, & alias similes frequenter ingredi Physicas, & mathematicas demonstrationes, quare pari ratione dignitates communes in scientia communi actu potuerunt ingredi demonstrationem. Confirmatur, quia nisi actu possent demonstrationem constituere, eamq; ingredi, cur dicerentur principia demonstrationis? cur diceretur omnem demonstrationem in primam dignitatem resolui,vt asseritur ab Aristotele in 4. metaphy. contex.9? Insuper cur nuncuparentur termini nostræ contemplationis, vt termini ab Aristotele appellantur in 1. Poster.& in 6.Ethico? Præterea si non actu ingredi possent demonstrationem, vnde id eueniret, vel ex defectu earũ, vel aliorum, non earum, quia sunt principia prima ex se nota,nata alia manifestare:non aliorum,quoniam alia his subiiciuntur,& nata sunt illustrari per huiusmodi dignitates. Colligamus itaq; omnem dignitatem posse actu ingredi demonstrationem,sic dicere possemus in prima Philosophia,de omni,quod est,vere dicitur esse, vel non esse, causa,& causatum,siue dependens,& independens,est id, quod est,de his itaq; vere dicitur esse,& non esse; Et quãuis dum subiectum est ab vno affectiones vt plurimum demonstrentur de primo vt inquit Auerroes, nil tamen prohibet, quin etiam nonnunquàm de vniuerso ostendantur. Dicebatur secundò dignitates rarò actu ingredi demonstrationem, sed solum ingredi virtute, & ratio est,quoniã demonstrans in eo laborare debet quod latet, & nisi for-

metur

metur demonſtratio non conſtat; at de eo, quod pendet ex huiuſmodi dignitatibus non ita ſe habet; ſtatim enim quòd oſtendimus aliquid eſſe, manifeſte patet id non poſſe non eſſe, quia ex ſe conſpicuum eſt, de nullo ſimul dici poſſe eſſe, & non eſſe, pariter è contra, ſtatim prolata ea dignitate de ſibi æquali ſubiecto cõſpicua eſt veritas pendens ex ea, hac itaque de cauſa demonſtrationem non ingreditur, non quia ingredi non poſſit, & ex ſe non ſit principium demonſtrationis, ſed quia inutiliter id fieret, propterea ſat eſt, vt addiſcens poſſideat huiuſmodi dignitates, & ſi quando occurrat, quòd aliquis vel ob naturæ ſuæ peruerſionem, vel ob defectionem experientiæ, vel ob prauam aſſuetudinem, vel ob Logicæ ignorantiam aliquid dicat, quod huiuſmodi dignitatibus aduerſetur, debemus eas, vt ex ſe notas ei obiicere pro repellenda ignorantia eius. Tertio, & poſtremo dicebatur demonſtrationem ex dignitatibus non eſſe poſtponendam demonſtrationi ex definitione, immo præferendam ei eſſe: hoc in præcedentibus manifeſtaui, quod etiam confirmo per Ariſtotelem in 4. Metaph. contex. 8. aſſerentem. Congruit autem maximè cognoſcentem in unoquoque genere poſſe dicere firmiſſima rei principia, quare & de eo quod eſt, quatenus eſt, principia omnium ſunt firmiſſima, nuncupat Ariſtoteles dignitates principia firmiſſima, per quæ maximè cognoſcimus; Inſuper in 3. Metaph. contex. 4. inquit dignitates maximè omnium principia eſſe, ac ex eis demonſtrationem fieri, ſi autem maximè ſunt principia maximè cognoſcuntur, & eorum virtute cognoſcuntur alia, proculdubio non conſtituunt demonſtrationem ſecundę menſuræ, ſed primę, quia propter quod vnumquodq;, & illud magis: Declaratæ itaque ſunt tres Concluſiones.


Prima eſt dignitates actu demonſtrationem ingredi poſſunt.

Altera eſt, raro ex dignitate pro parte demonſtrationis

sumpta constituitur demonstratio.

Postrema est, ea demonstratio, quæ ex dignitate constituitur non debet censeri deterior demonstratione ex definitione constituta contradistincta a dignitate.

Soluuntur rationes aduersæ. *Cap. XI.*



VBITATIONES pro parte aduersa in præcedentibus adductæ magni sunt ponderis, propterea ut facilius eas dissoluere ualeamus, præaccipiendũ est dignitates in duplici esse differentia, nonnullę inueniuntur quæ reuera dignitates sunt, & hæ quamuis non sint definitiones, tamen includunt modo aliquo uim definitionis, quatenus de ratione vnius est, vt conueniat alteri, ueluti de ratione totius est, vt sit maius parte, cũ constet ex multis partibus, & contineat partem illam, & aliquid ultra, pariter dum dicimus, de quolibet est vera affirmatio, & negatio, & de nullo simul est uera utraque, hæ dignitates uim, & euidentiam habent, a definitione, nam de ratione oppositionis per affirmationem, & negationem est, vt eius nullum sit medium secundum se, vt inquit Aristoteles in 1. Poster. cum autem sit oppositio ex se carens medio, de nullo simul ambo sunt uera, & de quolibet alterũ eorum verum est, includunt itaque huiusmodi præcipuæ dignitates vim definitionis, proferuntur tamen non per modum definitionis, quia sic magis conspicuæ, & apertæ sunt, hinc euenit, quod Aristo. in 4. Metap. contex. 28. Loquens de huiusmodi dignitatibus, dicebat aduersus negantes huiusmodi dignitates per definitiones esse disputandum, accipiendo quid significet esse verum, & falsum, &c. per hæc indicauit Aristoteles huiusmodi dignitates vim definitionum includere, & propterea non iniuria,

D.Tho-

D.Thomas in 1. Poſter. ad has dignitates reſpiciens dixit eas eſſe per ſe, in primo modo: Inſuper inueniuntur nonnullæ dignitates, quæ potius regulæ ſunt, ſiue enunciationes ſenſu conſpicuæ ex ſenſilibus collectæ, ab omnibus conceſſæ, quàm propriè dignitates, & principia prima demonſtrationum, veluti dum dicimus, ſi ab æqualibus æqualia demas remanentia ſunt æqualia, quæ ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe, & aliæ ſimiles; hæ ſunt conſpicuæ enunciationes, at non propriè cauſæ, & propterea non propriè principia: Propterea Plato in 6. necnon in 7. de Republ. negauit mathematicum conſiderare propriè ſumpta principia: & Ariſtoteles etiam in 2. de moribus ad Eudemum cap.7. inquit ea mathematicorum ſolum eſſe principia ſimilitudine quadam non reuera. De his vera eſt ſententia Auerrois in Epithomate Logico, in cap.de demonſtratione, dum inquit rationem ex dignitatibus non propriè eſſe demonſtrationem, ſed potius rationem dialecticam, in eadem ſignificatione eiuſdem Auerrois ſententia uera eſt, dum inquit plurima ex dictis in metaphyſica eſſe dialectica.: Et ex his colligo modo ſolutiones difficultatum: Ad primam dum dicitur, omnis demonſtrationis principium eſt quid eſt. Reſpondeo primo id debere præſertim intelligi de demonſtrationibus propriis, per quas propriæ affectiones demonſtrantur, non de communibus. Addo ſecundo id etiam de communibus eſſe uerum, dum veræ ſunt demonſtrationes, & ex propriè ſumptis dignitatibus conſtituuntur, quia illæ includunt uim definitionis, vt patuit; Ad alteram inſtantiam, dum dicebatur, quòd dignitates mathematicæ non ingrediuntur demonſtrationem: Reſpondeo dignitates raro demonſtrationem ingrediuntur, ſed ut inquit Ariſtoteles in quarto Metaphyſic. contex. 8. nos ad ſcientias accedere debemus parati dignitatibus. Addo ſecundo quando Ariſtoteles inquit mathematicum reſoluere ſuas demonſtra-

tiones in definitiones, id esse uerũ duplici consideratione, primo loquendo de ostensionibus propriis, per quas propriæ ostenduntur affectiones, non de communibus: Secundo asserendo, quod illæ, quæ propriè sunt dignitates, & principia demonstrationis etiam includunt uim definitionis. Ex his patet solutio tertiæ difficultatis, constat enim dignitatem propriè sumptam redigi ad primum modum dicendi per se. Et dum additur, quod in dignitatibus non exprimitur causa, per quam res est, & propterea non sunt propriè principia demonstrationis. Respondeo causam exprimi, & tradi, quatenus includunt vim definitionis; At contra hoc instatur, quia si dico de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, proculdubio non prædicatum est causa subiecti, non enim affirmatio, & negatio, uel veritas earum sunt causa rei, sed è contra, ut dicitur in libro de Interpretatione. Ad hoc respondeo, veritatem eius dignitatis in eo esse positam, ut vel affirmatio, vel negatio sint uera de quolibet, & hoc est de ratione eius oppositionis, ut patuit: Dum Vlterius dicebatur Aristotelem in metaphy. ex illis dignitatibus non constituere demonstrationes: Ad hoc patet solutio per declarationem secundæ conclusionis in præcedente capite; Ad postremam rationem sumptam ex auctoritate Arist. qui in 1. Post. inquit eã dignitatẽ, de quolibet est uera affirmatio, uel negatio, solũ ingredi demonstrationem ducentem ad absurdum alteram uerò solum ingredi ex parte maioris extremitatis, dum volumus aliquid ita ostendere: Respondeo Aristotelem tũc loqui de ostensionibus formatis in scientiis particularibus non in communi, possunt enim communes dignitates cum contractione ad proprium subiectum, inseruire scientiis propriis, vt idem Philosophus docuit: Præterea indicauit per id Aristoteles huiusmodi dignitates rarò actu ingredi, sed satis esse, vt in nobis insint, dum accedimus ad scientias addiscẽdas, dum enim eas possidemus,

con-


conſpicua ſunt etiam, quæ ex eis proximè colliguntur.

Quare ex his conſtat primo non omnes, quæ dignitates appellantur reuera dignitates, & principia eſſe.

Conſtat ſecundo propriè ſumptas dignitates vim definitionis modo aliquo includere, quatenus vnum eorum, ex quibus conſtant eſt de ratione alterius.

Patet demum aduerſarum rationum ſolutio.

FINIS SECVNDI LIBRI.



ANDREAE



ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBER TERTIVS.



De Sapientia, & primo de Nominis significationibus. *Cap. I.*



B Intelligentia tanquam à Sole ex ſe ſplendidiſſime fulgente, ſapientia proximè ab ea illuſtrata fœliciſſime pendet, & propterea iure conſiderationi intelligentiæ conſideratio ſapientiæ ſuccedit; Sapientia ſolo nomine ſuam pręſtantiam, & eminentiam patefacit; Sapientia enim grecè Σοφία à verbo σέβομαι quòd eſt veneror & honoro deducitur,

vt indicetur ſapientem honore dignum eſſe. Propterea Plato in Phedro aſſeruit ſapientis nomen magnum eſſe, & non homini, ſed ſoli Deo conuenire, cum ſolus Deus abſolutè ſit dignus veneratione. Verùm quia hoc nomen latè ſumptum ad varia extenditur, & in aliqua ſignificatione etiam conuenit homini, ideò ab eius acceptionibus ordiendum eſt. Sapientia duplex eſt, vna diuina, altera humana: de prima dixit Plato eã ſoli Deo conuenire, quàm ſententiam deſumpſit à Pythagora, qui renuit ſapientem nuncupari, non enim ſe ſapientem eſſe affirmabat, ſed Philoſophum, hoc eſt amicum ſapientiæ, eiusq́: ſectatorem, ita nomina ſenſim permutata, & emendata ſunt; Nam primi homines, qui veritatem indagarunt, Theologi fuere nuncupati, mox mutata voce fuere dicti ſapiẽtes, demum Philoſophi. Simonides quoq; idem cum Pythagora ſenſit, propterea Ariſtoteles in 1. metaphy. cap. 2. inquit, quapropter ex ſententia Simonidis Deus ſolus ſapientiæ dignitate eſt honeſtatus. Verùm quia homo in terris eſt vmbra, & imago quædam Dei, ideò ei quoq; adumbratè ſaltem ſapientia tribuitur, adeò vt ſapientia ſit duplex diuina, & humana. Inſuper ſapientia humana adhuc eſt duplex, vel eſt ſapientia vninerſa, vel ſapientia in parte ſumpta: Sapientia vniuerſa eſt ea, per quam cuncta vniuersè ſcimus, ad ſuprema eleuamur, cum primis principiis iungimur, & propterea ſcientiarum vltimum colophonium, ſcientiarum domina, ſola libera, ſola ſui ipſius non alterius gratia inuenta eſſe dicitur; inſuper ea ſola eſt, per quã in terris ex ſententia Philoſophi poſtrema fœlicitate donamur; Hæc eſt illa ſapientia, quæ ab aliis habitibus intellectus contradiſtinguitur, quæ ab Ariſtotele metaphiſica prima Philoſophia, & abſolute Philoſophia nuncupata eſt; à Platone verò ſæpè ob liberum, perſpicacem, & ſublimem indagandi modum nomine Dialecticæ deſignatur, in qua ſignificatione Dialectica ſcientiarum apex ab eo

nun-

nuncupata eſt; Ex aduerſo ſapientia iu parte ſumpta, etiã duplex eſt, vel enim reſpicit operationem, vel cognitionem veritatis; ſi ad operationem refertur, referri poteſt, vel ad actionem, vel ad effectionem: Dum ad actionem refertur, qui Prudentia fulgent ſapientes nuncupantur, & ſapere nil aliud eſt, niſi prudentem eſſe, in qua ſignificatione Principes prudentes, necnon Senatores optimi nuncupantur ſapientes. Hanc Plato in 10. Epiſtola, ſapientiam morum appellat, & in Appendice legum inquirens, qui nam ſit iudicandus ſapiens, colligit dubitandum non eſſe, quin bonus vir ſapiens ſit dicendus: ſapientem enim illum iudicat, qui ad diuinorum imitationem de humanis recte ſentit, conuenienterq; ea moderatur. Et quoniam Prudentia latè ſumpta ad calliditatem, & aſtutiam extenditur, ideò ad eam quoq; extenditur Sapientiæ nomen, & Vliſſes, quia callidus deſcribitur, & aſtutus, etiam dicitur ſapiens, in qua ſignificatione D. Hieronymus in Veteri teſtamento dixit, erat ibi ſerpens ſapientior omni beſtia: ſi verò ſapientia refertur ad effectionem, de eminentia Artium dicitur, & qui in Arte aliqua cæteris præſtant, ſapientes in ea Arte dicuntur, ſic Dedalus, Policletus, Phidias, & ſimiles, ſæpè ſapientes artifices nuncupantur. Demum ſapientia in parte ſumpta relata ad veritatem, & contemplationem, eſt fulgor, exceſſus, & eminentia quædam in aliqua ſcientia particulari: ſic Ptolomeus dicitur ſapiens Mathematicus, Thales Mileſius ſapiens Phyſicus; Verùm cnm tam latè extendatur ſapientiæ nomen, ille præſertim inter homines debet cenſeri ſapiens, in quo contemplatio ita cum actione iuncta eſt, vt diuinorum exemplo recte moderetur humana, & hic eſt habitus regius per quem intus formantur, & extrinſecus fulgent legitimi Principes. Colligamus itaq; dari ſapientiam diuinam, & humanam.

Inſuper ſapientiam humanam, vel eſſe ſapientiam vniuerſam, vel in parte.

Præ-

Præterea ſapientiam in parte, vel referri ad operationem, vel ad veritatem;

Si ad operationem vel ad actionem, per quam viri Prudentes dicuntur ſapientes, vel ad effectionem, per quã Artifices nuncupantur ſapientes.

Si vero refertur ad veritatem exceſſus in particulari aliqua ſcientia ſapientia eſt.

Ille tamen abſolutè eſt ſapiens, qui ad Dei imitationem in actione, & contemplatione refulget.

De Sapientia Diuina. Cap. II.



X variis ſapientiæ acceptionibus, duæ ſolæ ſunt, quæ ad præſentem conſiderationem pertinent; Sapientia ſcilicet diuina, & ſapientia humana vniuerſe ſumpta, a ſcientia contradiſtincta; Quamuis enim inſtitutum meum ſit de ſola humana ſapientia loqui, quæ eſt habitus noſtri intellectus, attamen quoniam hæc eſt imago diuinæ, etiam aliquid de diuina dicendum eſt, & ab ea, vt a Principe, & exemplari forma ordiri debemus. Sapientia diuina non ſtudio, & labore acquiſita eſt, vt humana, non accidens eſt, nec habitus animi, ſed eſt ipſamet Dei natura, eſſentia, ac ſubſtantia, adeo vt intelligens, intellectio, & intelligibile re idem ſint, ſola ratione diſtinguantur; Dei nanque eſſentia, vt omnia continens eſt ipſum intelligibile, ut ſe eminentiſſima certitudine intuens eſt intelligens, vt hic intuitus non eſt per aliquod externum, nec per actum ſecundum manantem, & recedentem a primo, ſed per propriam intuentis eſſentiam, eſt intellectio. Dum dicimus quod Deus, ut omnia continens eſt ipſum intelligibile; conſiderandum eſt, quod Deum omnia continere, poteſt præſertim duobus modis intelligi: Omnes

enim sapientes in hoc conueniunt, quòd Deus contineat omnia; Differunt tamen quia nonnulli inquiunt, Deum omnia continere in sola eminentia, veluti in Cœlo dicimus in eminentia contineri quatuor elementa, & reliqua metalla in auro, huius sententiæ est Aristoteles, qui ob id asserit in sola eminentia Deum cuncta cognoscere. Alii inquiunt Deum omnia continere, non in sola eminentia, sed per conuenientes rerum Ideas, cuius sententiæ sunt Theologi, necnon Platonici, & quoniam vt Deus cætera continet ita cognoscit, ideò isti rectius valēt, seruare pertinentia ad cognitionem Dei; ad Mundi dependentiam ab eo, ad curam, & prouidentiam vniuersi, quàm Peripateci; Ideæ enim sunt sapientia Dei, sunt ipsamet Dei essentia, vt nata à rebus imitari, & participari, sunt Dei Natura, vt rerum est causa, vt distinctè cuncta rapræsentans diuinæ menti, sunt demum Mundus intelligibilis initium, & exēplar mundi sensibilis. Has ideas Aristoteles variis in locis, diuersisq; rationibus euertere nixus est, neq; assentiendum est Simplicio, Ioanni Pico, & aliis, qui asserunt litem inter Aristotelem, & Platonem solum esse in verbis, in sententia autem conuenire; Nam Aristoteles accuratissimè, vt de re maximi momenti de Ideis disseruit, latissimè manifestare conatus est, Ideas nullam præbere vtilitatem, ad nil eorum conferre, ad quæ conducere asseruit Plato; omnia demum Idearum fundamenta esse inania, & inconstantia nixus est patefacere: Neq; putandum quod in vna significatione Ideæ ponantur à Platone, in altera reiiciantur ab Aristotele, vt puta quod à Platone ponantur in Dei mente, ab Aristotele reiiciantur, vt formæ rerum naturalium seiunctæ, & per se subsistentes; Nam Aristoteles neq; etiā in diuina mente censuit inueniri Ideas, & rationes ab eo formatæ vim habent, siue Ideæ sint in diuina mente, siue sint separatæ, censuit Aristoteles Deum se solum cognoscere, non autem cætera, nisi in eminentia;

quæ

quæ ſententia Ariſtotelis quamuis abſolutè falſa ſit, & ve riſſima ſit ea Theologorum, tamen ſi in ſola humana ratione perſiſtimus, ea quoq; defendi poteſt; ſic itaq; ex ſententia Peripateticorum; ſapientia Dei eminentiſſimè includit omnem veritatem, & dicitur Deus ſolum in eminentia cuncta cognoſcere, non autẽ diſtinctè, & in propria forma; Et ſi quis quærat, hæc cognitio in eminentia qualis nam eſt, nunquid cenſeri debeat cognitio rerum in vniuerſali, vel potius in parte, & in propria forma? Ad hoc eſt dicendum, quod cum ſit cognitio eminentior humana cognitione, etiam excellit conditiones humanæ cognitionis, propterea ſine contradictione, & neutra, & vtraq; dici poteſt: Primo eſt neutra, quoniam diuina cognitio non eſt vniuerſalis, tum quia cognoſcere in vniuerſali, eſt cognoſcere in potentia, & imperfectè, tum Inſuper, quia cognoſcere in vniuerſali, vel eſt per communem aliquam notionem collectam ex ſingularibus, vel per communem Ideam, neutrum horum conceditur ab Ariſtotele, non primum, quia ſic cognitio eſſet accidens, non ſecundum, quoniam Ideas non concedit: Neq; etiam eſt cognitio rei in parte, & in propria forma, quoniam eminentia excludit conditiones particulares, excludit propriam rerum formam, rectè itaq; Auerroes in 12. metaphyſicæ, commento 51. inquit ſcientiam Dei, nec vniuerſalem, nec particularem eſſe; quod etiam latius explicauit in 3. Diſputatione contra Algazelem. in ſolutione 18. Dubii. Ex aduerſo vtraq; eſſe dicitur, & vniuerſalis, & particularis, quoniam vtriuſq; perfectionem in gradu eminentiore ſeiuncto ab omni oppoſitione, ac imperfectione includit; eſt vniuerſalis vt excludit indiuiduas, & oppoſitas inferiorum differentias, & oppoſitiones, eſt particularis, vt excludit omnem potentiam, diſtinctionem, ac diminutionem; At quæres cum ea cognitio neutra ſit, cui ſaltem eſt ſimilior num cognitioni in parte, vel vniuerſali? Inquit Auerroes in 6.

Disputatione, in solutione tertii dubii, quia scire particularia apud nos est sciẽtia in actu, patet, quòd scientia Dei propinquior est scientiæ particulari, quàm vniuersali, licet nulla harum sit: Sententiam Auerrois minimè censeo veram, sed potius eorum opinioni subscribendum censeo, qui cognitionem in eminentia, magis similem esse putarunt cognitioni vniuersali; quod ex his patere potest; Primo quia cognitio in eminentia similior est cognitioni præstantiori, quam imperfectiori: at demonstrat Aristoteles in 1. Poster. quod demonstratio vniuersalis est præstantior particulari, & scire vniuersale, est præstantius quàm scire partem eius. Confirmatur, quia vniuersale respondet facultati eminentiori, intellectui nempè; singulare verò sensibus: Propterea Vniuersale essentiam, & quod quid est rerum indicat, scientia Dei, est id, quod est, cum sit eadem cum Dei essentia: est itaque scientia Dei absolutè similior cognitioni vniuersali, cum conditio vniuersalis sit præstantior, & eminentior, est tamen ita similior vniuersali, ut non excludat perfectionem singularis, immo vt in Deo Natura vniuersalis à singulari non distinguitur, ità neque in eius scientia, cum eius scientia, sit ipsamet essentia Dei. Considerandum tamen, quòd aliud est cognoscere vniuersale, aliud cognoscere in uniuersali, primum indicat perfectionem, est enim cognitio essentiæ rei: Alterum uerò indicat imperfectionem; quia contineri in vniuersali, est contineri potestate, cognitio Dei est similior cognitioni vniuersalis, sed non rei in suo vniuersali, quod imperfectius est, & ea cognitio vniuersalis comparata cum cognitione rei in vniuersali potest aliqua ratione dici particularis, cum sit absoluta, ac perfecta, & si Auerroes id voluit denotare, recte sentit; Colligo itaque cum solus Deus Deum cognoscat cætera uerò eò cognoscant obscurius, quò longius distant ab eo; hominem inter rationales creaturas longissimè à

ſimè à Deo diſtantem, obſcurè ſolum cognoſcere poſſe, ut Deum, ita conditionem cognitionis Dei, cum cognitio Dei ſit ipſemet Deus.

Patet itaque Diuinam ſapientiam Deo conuenire.

Inſuper conſtat ex ſententia Ariſtotelis ſapientiam illam eſſe cognitionem in eminentia.

Demùm patet qualis ſit cognitio in eminentia, & quomodo abſolutè ſimilior ſit cognitioni vniuerſali, quàm particulari.

De ſapientia Intelligentiarum. Cap. III.



VEMADMODVM diuina conditio per quandam participationem in uarios gradus effunditur, ita ſapientia, quæ eius eſt propria diſtribuitur in uarios gradus, & quemadmodum diuinæ naturæ conditio, vel obſcurior, vel clarior in diſtinctis rerum gradibus ſeruatur, ita quoq; ſeruari conditionem ſapientiæ putandum eſt: Deo proximè miniſtrant Angeli, qui Intelligẽtiarum nomine à Peripateticis denotantur, de quorum cognitione, & ſapientia non idem ſentiunt Theologi, & Peripatetici: Ego Theologorum decreta toto amplectens animo, ſolum quid ſentiant Peripatetici explicandum mihi propoſui. Conueniunt profectò inter ſe Peripatetici Intelligentias ea, quæ cognoſcunt per eſſentiam cognoſcere: diſſentiunt verò, quatenus nonnulli cenſent, inferiores intelligentias intelligere ſuperiores per eſſentiam ſuperioris, alij uerò per eſſentiam propriam, & quilibet pro parte ſua uarias affert rationes; ſed vt de re, non ex præcipuo inſtituto conſiderata, breuibus, & reſolutè agam, aſſerendum cenſeo Intelligentias cùm ſuperiores, tùm inferiores in-

res intelligere, inferiores quidem per essentiam propriã, & in eminentia, superiores uerò utroq; modo, & per essen tiam propriam, & per essentiam superioris. Quod intelligentiæ mediæ intelligant inferiores per essentiam propriam, patet, quia in forma eminentiore, in eminentia, & nobiliori quodam modo continentur inferiores, ut manifestauit Auerroes in disputatione tertia in solutione 18. dubij: propterea cum Intelligentia media intelligat se per essentiam, etiam dicitur intelligere inferiores: non autem intelligit inferiores per essentiam earum, uel per earum receptionem, quia sic uilesceret. Quòd Intelligentiæ mediæ intelligant superiores per essentiam propriam ostenditur, quia Intelligentiæ inferiores vsq; ad proprium suæ perfectionis gradum dicuntur conuenire cum superioribus, ideò quoad hoc intelligendo se dicuntur intelligere superiores. Confirmatur, quia Intelligentia inferior dicitur modo aliquo pendere à superioribus, & ideo dicitur quædam participatio superioris, & præsertim Dei; Proptereà intelligendo se, dicitur intelligere superiorem, vt est participatio eius, & intelligentia inferior eò præstantius dicitur cognoscere, superiores, quò etiam præstantior fuerit: Verum hæc cognitio superioris ab inferiori non est satis, quia per hanc cognitionem non uerè nectuntur cum superioribus, & beantur ab eis, alioquin sequeretur quod intelligentia inferior esset beatitudo suimet: Præterea per hunc intelligendi modum non consideraretur compositio in intelligentiis, vt enim Deus se solum intelligens ratione huius intellectionis simplex dicitur, ita cæteræ intelligentiæ si tantum se intelligerent, & cætera per essentiam suam, simplices penitus ratione huius censendæ esent, nec aliquid dicerentur intelligere extra se, cum tamen solus Deus, absolutè, & omni ex parte sit simplex, & solus omnium Peripateticorum consensione dicatur se solum intelligere, inferiores autem intelligentiæ dicuntur

compo-

cōpositæ ex intelligibili, & intelligente, & una pendet ab altera, ut intelligens ab eo, quod intelligitur, vt inquit Auerroes in 12.metaphy. commento 44. sunt itaq; compositæ ex intellectu, & intelligibili; & propterea rationi consentaneum est, asserere inferiores intelligentias intelligere superiorem per essentiam superioris, quæ intellectio per essentiam est quidam spiritalis contactus, est maxima omnium connexionum, incorporea enim intimius nectuntur quàm corpora, & sine vlla partium distantia copulantur; est præstantissima formatio, non est propriè intuitus, neq; abstractio; sed eminentior utrisq;; est diuina eleuatio inferioris in superiorem, est demum summũ bonum, fœlicitas, & uita optima semper conueniens Intelligentiis, ut in 12.metaphy.39.affirmat Aristoteles.

Patet itaq; inferiorem Intelligentiam, cum se, tum superiorem intelligere, & per essentiam suam, & per essentiam superioris.

Dubia nonnulla, & solutiones.
Cap. IIII.



QVo res suaptè natura, & conditione sunt splendidiores, eò humanæ mẽtis acies in ea conuersa maiore, ac obscuriore caligine offunditur. Propterea mirum non est, si conuersa in intelligibilem diuinarum mentium Solem variis difficultatibus circumfunditur. Primum hoc dignum consideratione occurrit utrum diuinarum mentium cognitio similior sit illi habitui, qui sapientia dicitur, uel potius Intelligentiæ: Præterea si inferior Intelligentia intelligit superiorem per essentiam superioris, uaria uidentur sequi absurda, nã sequitur primo quod in substantiis abiunctis non idem erit intelligens, intellectio, & intelligibile; Insuper cognitio

gnitio Intelligentiæ non erit sua essentia; tertio tunc in Intelligentiis aliquid nouum considerabimus, omne enim compositum est nouum, ut dicitur 12. metaphy. contex. 36. Præterea tunc eadem Intelligentia se, & superiorem multipliciter intelliget; nam se intelliget per essentiam propriam, & superioris: pariter utroq; modo intelliget superiorem: Insuper erit multiplex, quia erit ipsamet, & superior cum intelligendo euadat ipsum intelligibile; Demum non apparet quomodo uariæ intelligentiæ intelligant eandem, quia uel intelligunt eodem modo, uel modo uario, & distincto; non eodem modo, quia uaria subordinata non æquè accedunt ad supremum, non uario quia simpliciter simplex uel omnino attingitur, uel nullo pacto attingitur, non enim in simplici inueniuntur gradus.
Ad primam difficultatem dum quæritur an ea cognitio similior sit sapientiæ, uel Intelligentiæ; respondeo eã propriè neutrum esse, non enim est habitus, sed essentia, aliqua tamen ratione similis est Intelligentiæ, quatenus est cognitio præstantissima, cognitio non pendens ex alia prestantiori cognitione, & demum cognitio rei, quæ est principium, in qua cognitione mendacium non habet locum: Attamen nuncupatur ab Academicis, & Peripateticis nomine sapientiæ, quia tunc sapientiæ nomen ab eo Intelligentiæ non distinguunt, sed nomine sapientiæ denotant eminentiam quandam cum sapientiæ, tum intelligentiæ: Insuper utuntur nomine sapientiæ, quatenus sapientis est omnia scire, substantiæ autem abstractæ per suam cognitionem in eminentia omnia scire dicuntur. Præterea id faciunt ob euitandam æquiuocationem; nam si diceremus Intelligentiæ conuenire Intelligentiam, appareret conspicua æquiuocatio, neq; propterea putandum est eam cognitionem etiam intelligentiæ nomine honestari non posse: Dum ulterius addebatur ex tradita explicatione sequi uaria absurda, hoc inficiari debemus; nam dum dicitur, quòd

tur, quòd ita in abſtractis non idem erit intelligens, intellectio, & intellectum: Reſpondeo hoc de ſolo Deo abſolutè verum eſſe, ſolus Deus ſe ſolum cognoſcit: de cæteris eſt verum quatenus intelligens ſit intelligibile; nam ſi de noſtro intellectu verum eſt, quòd intelligens fiat modo aliquo intelligibile, vt dicitur in 3. de Anima, contex. 8. & 37. longè magis id erit verum de cognitione abſtractorum, quorum cognitio eſt per eſſentiam: hinc omnes intelligentiæ extra primam cum intelligant aliud a ſe, dicuntur compoſitæ ex intellectu, & intelligibili: Dum additur quod cognitio intelligentiæ non erit ſua eſſentia; Reſpondeo cognitio intelligentiæ eſt eſſentia intelligibilis, quatenus eſt per eſſentiam ſuperioris intelligibilis: eſt eſſentia intelligentis quatenus, ut dixi, intelligens dũ intelligit dicitur fieri intelligibile: Ad aliud, quia ſic in eis eſſet aliquid nouum; Reſpondeo ſi per nouum denotatur dependens, quod denotaſſe Auerroem exiſtimo in 12. Metaphyſic. 39. vbi contra diuinam trinitatem diſputans ab eo perperam intellectam, eam profert ſententiã, ſic nulla eſt dubitatio, nam omnes intelligentiæ citra primam dependent, quòd verò Auerroes eo in loco dependentiam denotauerit, indicauit per ſubſequentia verba, inquiens, niſi dicant aliqua componi per ſe, & ſi aliqua eſſent, quæ per ſe componerentur, tunc exirent de potentia in actum per ſe, & mouerentur ſine motore per ſe, &c. Sic itaque Auerroes ibi per nouum denotauit dependens nõ primum; quòd Deo aduerſatur, de quo tunc loquebatur: Si vero per nouum intelligimus genitum, & mortale, hoc inficiari debemus; nam minimè in hac ſignificatione omne compoſitum eſt nouum, ſed ſolum id, quod uere compoſitum eſt, ex materia, & forma mortalium, hoc manifeſtiſſimè affirmauit Auerroes in 3. Diſputatione, in ſolutione 19. dubii. inquiens dum dicitur omne cauſatũ eſt poſſibile, minimè id eſt verum uniuerſe. ſed de cauſato com-

posito, & hoc non est æternum, quia compositum unum includit materiam, quæ est initium potentiæ, & interitus: nam denotat compositum unum, hoc est vnum per formã dantem esse, hoc non est sine materia, ob quam est possibile; Limitat itaque Auerroes sententiam illam, omne causatum, siue compositum est possibile de eo composito, quod ex materia constat, ex qua cum forma vnum consurgit, quare ea sententia minimè nobis aduersatur, cum loquamur de cõpositione ex intellectu, & intelligibili, quæ compositio longè distincta est ab ea. ex tradita etiam solutione constare censeo minus rectè ab expositoribus, & sectatoribus Auerrois confundi sententiam prolatam in 12. Metaphy. commento 39. cum ea tertiæ disputationis contra Algazelem; nam si loca illa accuratè perpenduntur apparebit Auerroem de re diuersa loqui, & in uaria significatione sententiam utranq; veram esse. Dũ vlterius additur ex ea determinatione sequi hoc absurdum, quod eadẽ intelligentia se, & superiorem duobus modis intelliget: dico id minimè esse absurdum, quia non eodem, sed distincto modo id contingit: Ex qua duplicis cognitionis conspiratione exactior consurgit cognitio, arctiorq; connexio: Dum dicitur, quòd erit multiplex: Respondeo, quòd uerè erit multiplex, quia solus Deus absolutè est simplex, sed est multiplex vario modo, est ipsamet absolutè, fit superior per potentiam, & nexum cum superiori, vt etiam de nostro intellectu dicimus, quod ex se est, natura, & substantia quædam æterna, cum tamen mox per potentiam fiat omnia intelligibilia. Ad postremam difficultatem, quæ erat an inferiores eodem, uel uario modo, & distincto gradu reciperent, & intelligerent superiores: Respondeo id fieri gradu vario, & dictincto; nam in simplici, quamuis absolutè non insint gradus, tamen in eo reperiuntur, vt participari natum est, & ex conditione recipientis, & participantis, ueluti idem lumen in uariis ua-

rio

rio modo recipitur: Sic rectè de Deo dictum est. In domo patris mei mansiones multæ sunt; Insuper solus Deus dicitur Deum cognoscere, quia in eo solo cognoscens æquatur rei cognitę, cum tamen modo aliquo, & per uarios gradus dicatur etiam cognosci ab aliis multis: At colligamus in pauca, quæ latè patefecimus.

Constat primo apprimè dubium esse inferiores intelligentias per sui, & superioris essentiam superiorem intelligere.

Patet secũdo quo pacto ea dubia censeam esse soluenda.

Demum constat cognitionem intelligentiarum magis cõuenire cũ habitu intelligentiæ, quàm sapientiæ, quamuis reuera neuter eorum sit, & frequentius sapientia nuncupetur, quàm intelligentia.

De Humana Sapientia vniuersè considerata. Cap. V.



VERSATI hactenus sumus in Sapientia diuina, quæ Cœlo dominatur, & terris, & iure merito sol intelligibilis nuncupatur, cuius radii cuncta pariunt, omnia seruant, & fœlicissimè perficiunt. Humana Sapientia est u el uti vmbra illius, & umbra quidẽ satis tenuis per quam homo aliqua ex parte redditur similis Deo: Quæ duæ sapientiæ inuicem comparatæ, ita se habent, vt illa sit essentia viua, hæc verò accidens: illa sit supra ignorantiæ nubes eleuata, hæc obscura quadam humanæ cæcitatis caligine sit inuoluta; Illa seorsum a difficultate splendidissimè diuinis mentibus conueniat, hæc sine labore, & sudore minimè acquiratur; Illa conueniat omnibus, hæc valdè paucis: Illa sit causa rerum, hæc ex rebus iam productis colligatur: Illa demum sit pura, eminentissima,

uberrimaq; fœlicitas, hæc tenuis quædam umbra cũ humana miseria permixta. Ex his constat eius difficultatis solutio, qua quæritur, vtrum sapientia sit humana possessio, vel nè: nam sapientia diuina minimè est humana possessio, sapientia vero humana ita est humana possessio, vt ab hominibus conuenienter per naturam dispositis, rectéque educatis, ac institutis acquiri, & aliquandiu valeat possideri. Humana enim sapientia contradistincta ab aliis habitibus intellectus Metaphysica est, quæ & prima Philosophia, & Philosophia vniuersa, & humana Theologia, & scientia absolutissima dici potest, quæ non vulgaris, sed eminentioris hominis possessio est. Humana sapientia dum confertur cum scientia, dicitur absolutio scientiæ, scientiarum caput, vel potius scientia capite prædita, cui scientiæ definitio ab Aristotele in 1. Poste. tradita apprimè conuenit, uerè enim Metaphysicus rei causam cognoscit, verè ostensionem formare valet, ex primis, ueris, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis, adeo vt iure ea sola absolutè scientia nuncupari mereatur. Verum dubitatio oritur, si sapientiæ conuenit definitio scientiæ, & reuera non est habitus re distinctus a scientia, quomodo ab Aristotele pro distincto habitu numeratur? Cuius difficultatis hanc censeo esse solutionem; Scientia latitudine prædita est, & eius culmen, & apex longè præstat partibus aliis: Præterea vt magnificentia ad liberalitatem se habet; magnanimitas ad mediocrem honorum appetitionem: uirtus heroica ad morales, ita sapientia se habet ad cæteras scientias, & quemadmodum Magnificentia, Magnanimitas, Heroicaq; eminentia enumerantur pro distinctis uirtutibus, ita non est absurdum, vt sapientia pro habitu distincto a scientia numeretur, non secus, ac Sol nonnunquam pro distincto a stellis numeratur, quamuis reuera sit stella. Præterea id quoque iure factum est, quia de ratione sapientis est, omnia

nia

nia ſcire, nemini ſubiici, quòd minimè eſt de ratione ſcientis; non itaque errauit Ariſtoteles dum ſapientiam ſeiunxit a ſcientia, præſertim cum nouerit, & docuerit ſapientiam, intelligentiam, & ſcientiam arcto quodam neceſſitudinis nexu iungi, & copulari.

Conſtat itaq; primo quomodo humana ſapientia ad diuinam ſe habeat.

Patet ſecundo humanam ſapientiam rectè dici poſſe humanam poſſeſſionem.

Patet demum Intelligentiam, Sapientiam, Scientiam, maxime conuenire, maximeq; necti; & præſertim ſapientiam cum ſcientia, nec propterea perperam Ariſtotelem ſapientiam à ſcientia ſecreuiſſe.

In quo verſetur Humana Sapientia. Cap. VI.



VARIAE de ſubiecto metaphyſicæ ſunt Peripateticorum ſententię, nec manifeſte conſtat quid hac de re Ariſtoteles ſenſerit; nōnunquàm enim aſſerit metaphyſicum vna cum Dialectico, & Sophiſta nullo claudi termino, ſed verſari in omni eo, quod eſt, vt in 4. metaphy. nonnunquàm ait verſari in ſubſtantiis abiunctis, vt in Prohemio de Anima 11. metaphy. 2. Phy. & alibi: nonnūquam demum aſſerit verſari in ſubſtantia, & tot eſſe Philoſophiæ partes, quot ſubſtantiæ, vt in 4. metaphy. Ex quo vario loquendi modo variæ prodierunt interpretum eius opiniones; & id quoq; præſertim contigit, quia minime conſtat quid nomine entis denotauerit, cum ea vox in varia ſignificatione variis in locis proferatur; & quoniā hæc quæſtio cum latiſſimè ſit exactiſſimè pro omni parte ab aliis eſt diſcuſſa; propterea ego prætermiſſis aliorum opinioni-

nionibus, ſententiam meam quàm breuiſſimè referam. Accipiendum primo Entis vocem, vt ad inſtitutum noſtrum pertinet tribus modis vſurpari; accipitur primò in maxima eius latitudine pro omni eo, quod eſt, quouis modo ei eſſe conueniat; accipitur ſecundo magis propriè pro ente compoſito; nam ens eſt vox concreta, & propriè ea ſignificat, quæ compoſita ſunt, ideo frequenter ab Ariſtotele profertur pro denotando compoſito, vt in 1. Phy. contex. 51. 52. 69. in 2. Phy. contex. 1. & alibi: Tertio accipitur ens pro primo ente compoſito, quod ſubſtantia eſt: ſi ens accipitur in prima ſignificatione, principia, & ſimplicia, entia ſunt, ſi accipitur in ſecunda ſignificatione principia non ſunt entia, ſed initia eius, quod eſt; ſi demum in tertia accipitur ſola ſubſtantia compoſita eſt ens; accidẽs verò minime, ideo ſubſtantia dicitur ens ſimpliciter, accidentia verò non dicuntur entia, niſi quia entis; & entia in parte non abſolutè. Inſuper accipiendum eſt ſubiecti nomine tria poſſe denotari, vel enim denotatur id omne quodcunq; ſit, quod in ea facultate conſideratur, quod ratione aliqua obiectum dici poteſt, veluti Ariſtoteles in 2. de ortu, & interitu. contex. 7. obiectum viſus nuncupauit ſubiectum, quod etiam fecit in 2. de Anima. contex. 136. & 144. vel denotatur id, quod contradiſtinguitur à principiis, & affectionibus, vel demum denotatur id quod potiſſimùm eſt ex conſideratis in ſcientia: ſi vtimur nomine ſubiecti in prima ſignificatione, vtiq; omne, quod eſt, dicitur ſubiectum metaphyſicæ: ad hoc reſpexit Ariſtoteles, dum in 4. metaphy. contex. 5. & in Prohemio metaphy. dixit metaphyſicum, Dialecticum, & Sophiſtam verſari in omni eo, quod eſt: Inſuper dum aſſeruit ſapientis munus eſſe cognoſcere omnia, ac etiam dum affirmauit Philoſophi eſſe de omnibus poſſe ſpeculari: ſi nomen ſubiecti accipiatur in ſecunda ſignificatione, tunc ens compoſitum contradiſtinctum à principiis, & affectionibus debet

iudicari

iudicari ſubiectum; in hac ſignificatione dicitur in principio 4. metaphy. Metaphyſici munus eſſe conſiderare ens, vt ens, & eius cauſas primas, & affectiones. Demum ſi nomine ſubiecti intelligimus id, quod primum eſt, quoniam huiuſmodi eſt ſubſtantia, iure ſubiectum metaphyſici ſtatui poſſet ſubſtantia, & inter ea, quæ quouis modo in illa conſiderantur, & quouis modo ſunt entia ſtatui poteſt ſubſtantia abiuncta, quotieſcunq; enim ſcientia verſatur in eo, quod eſt ab vno, præſertim, & propriè in eo, quod primum eſt verſari dicitur; hoc affirmauit Ariſtoteles in 4. metaphy. contex. 2. inquiens, conſtat itaq; quia entia vnius eſt ſcientiæ ſpeculari quatenus entia, propriè vero primi eſt ſcientia, ex quo pendent alia, & per quod huiuſmodi nuncupantur, ſi itaq; hoc eſt ſubſtantia ſubſtantiarum oportet principia, & cauſas habere Philoſophum. Ex his conſtant variæ cum ſubiecti, tum entis ſignificationes.

Inſuper patet quomodo, & omne quod eſt, & ſolum compoſitum, & demum ſola ſubſtantia, & præſertim ſubſtantia abiuncta dici poſſit ſubiectum metaphyſicæ.

Dubia nonnulla, ac eorum ſolutiones. Cap. VII.



QVONIAM res de qua loquimur apprimè eſt perplexa, & ardua, propterea mirum non eſt ſi aduerſus traditam elucidationē variæ quaſi ex profundo tenebricoſæ caliginis pelago emergunt dubitationes; nam primo redditur dubia, quoniam frequenter Ariſtoteles aſſerit primam Philoſophiam verſari in conſideratione ſubſtantiarum ſeparatarum, per earum conſiderationem diſtingui ab aliis ſcientiis, ab eis ſortiri eſſe præſtantiam,

&

&dignitatem, vt patet ex 11. metaphy. ex Prohemio de Anima,&locis aliis;& adeo afferitur in eis verſari, vt affirmetur, quòd niſi illæ darentur Phyſica eſſet prima Philoſophia, vt patet ex 6.metaphy. quæ omnia indicant ſubſtantiam ſeparatam eſſe materiam propriam diuinæ conſiderationis, eiq; æqualem. Præterea non videtur poſſe ſeruari,vt ens habeat affectiones, & principia, quia illæ affectiones,& principia,vel ſunt entia,vel ne,ſi ſunt entia, ergo non ſunt principia, & affectiones entis vt ens, alioquin eſſent principia,& affectiones ſuimet, reduplicatio enim vertitur in vniuerſalem; ſi non ſunt entia non poſſunt eſſe principia entis,& affectiones,quod enim non eſt, non poteſt eſſe principium, & affectio entis quemadmodum non ſubſtantia non poteſt eſſe per ſe principium ſubſtantiæ, vt dicitur in 1. Phy.contex.52. Præterea falſum videtur,quòd enti conueniant principia, & cauſæ, vt ens eſt,quia ſic omne ens haberet principia,& cauſas,quod eſt abſurdum, ita enim daretur in cauſis progreſſus in infinitum: Conſequentia patet, quoniam reduplicatio vertitur in vniuerſalem,ſi itaq; ens,vt ens habet principia,omne ens principia habebit. Præterea ego dixi, id, quod præſertim in metaphyſica conſideratur eſſe ſubſtantiam, Auerroes vero in calce 1. Phy. & alibi aſſerit eſſe Intelligentias, & ab Ariſtotele in 8.Phyſi.contex.3.nuncupatur metaphyſica methodus de primo principio,ſic itaq; ea apprimè redduntur dubia, quæ in præcedentibus dicta ſunt. Ad primam difficultatem dico, verſari quidem metaphyſicum in conſideratione diuinarum mentium,ac in eis verſari, & tanquàm in parte potiori ſui ſubiecti, & tanquam in principiis eius:nam ſi ens, & ſubiectum accipiuntur in prima ſignificatione, ſic diuinæ mentes ſunt pars præſtantiſſima eius, & in hac ſignificatione vera eſt ſentẽtia Auerrois, quod diuinæ mentes ſunt pars potiſſima ſubiecti metaphyſicæ; ſi vero ens, & ſubiectum accipiuntur in ſecunda

da ſignificatione, diuinæ mentes ſunt principia entis, & ſubiecti metaphyſicæ: ſi demum ſubiectum accipitur in tertia ſignificatione, patet diuinas mentes varia ratione poſſe dici, & principia, & ſubiectum, principia ſubſtantiæ compoſitæ, ſubiectum vero quia eſt pars potiſſima ſubſtantiæ latæ ſumptæ; ſic itaq; iure dicitur metaphyſicum in ſeparatis mentibus verſari, & ab eis recipere dignitatem, nam ſolus metaphyſicus valet conſiderare eſſentiam ſeparatarum formarum; Ad Ariſtotelem in 6. metaphy. aſſerentem, niſi darentur ſubſtantię ſeparatæ naturalis eſſet prima Philoſophia, cui ſententię ſimilem protulit in 1. de Partibus Animalium, inquiens, ſi Phyſicus conſideraret intellectum, præter naturalem non daretur alia Philoſophia; Communis ſolutio Latinorum ferè omnium eſt, quòd metaphyſicus verſatur in abſtractis, ſiue per eſſentiam, ſiue per indifferentiam, niſi autem darentur abſtracta per eſſentiam, non darentur abſtracta per indifferentiam, & conſequenter non daretur metaphyſica, quæ ſententia mihi ſemper dubia apprimè fuit, quoniam metaphyſicus, vt in ſequentibus apparebit, conſiderat nedum ſeparata, verum etiam coniuncta cum materia, & materiam conſiderat, vt elementum eorum, & quatenus ingreditur definitionem, & propterea etiam circunſcriptis ſubſtantiis ſeparatis, remaneret aliqua cōſideratio metaphyſica: Propterea ſecus ſoluens dico metaphyſicum habere aliquid commune cum Phyſico, & aliquid proprium, commune eſt ens, materiatum, & compoſitum, quod diſtincta conſideratione conſideratur ab vtriſq;, proprium vero eſt ens abiunctum, & ſeparatum, quod nedum eſt propriu̇m, verum etiam eſt potiſſimum, & quoniam denominatio recipitur à proprio, & præſtantiſſimo, ac inſuper vires menſurantur per maximum, vt dicitur in 1. Cœli: ideo iure Ariſtoteles ſæpè inquit metaphyſicum verſari in abſtractis, eſſe methodum de primo principio, & niſi

M daren-

darentur abstracta, non daretur metaphysica, nam periret profectò quoad id, quod proprium, ac præstantissimum est, & nil superesset, quod magni momenti esset, & quod non posset sine magno discrimine, & confusione, vna cum naturali consideratione iungi, & ex eis constitui scientia vna: quemadmodum id ab Antiquis Physicis fuisse factũ compertum est, vt ab Empedocle, Democrito, & aliis. Ad secundam difficultatem, quia non videtur ens posse habere principia, & affectiones: Respondeo ens in secunda, & tertia significatione, manifestè potest habere principia, & affectiones: Et dum quæritur, vel erunt entia, vel nè: Respondeo ea non esse entia in ea significatione, in qua est ens, id cuius sunt principia, sed sunt entia in prima, & lata significatione, sic materia, & forma, modo dicuntur esse entia, modo non: Hoc denotauit Aristoteles in 1. Phy. 69. inquiens materiam esse vnum principiũ, non ita unum, neque ita ens, vt hoc aliquid, hoc est compositum, indicauit Aristoteles ens, & vnum secus dici de composito, secus de principiis eius: Si verò ens accipiatur in prima significatione, pariter, & subiectum, tunc dico de ratione subiecti, ita sumpti non esse, vt habeat propriè sumpta principia ab eo distincta, accipitur enim tũc subiectum pro obiecto, & pro omni in ea scientia considerato. Ad tertiam difficultatem dum quærebatur quomodo enti, vt ens possint conuenire principia, & affectiones, patet ex iam dictis aliqua ex parte responsio, nam si accipiatur propriè reduplicatio, & ea cadat super compositũ, patet huiusmodi enti conuenire principia, & affectiones; at si cadat super vniuersam entis latitudinem, minimè enti, vt ens conueniunt principia, & affectiones, quoniam statim de illis principiis, & affectionibus quæcunq; sint, quæram an sint entia, vel ne, & ita vel dabitur progressio in infinitum, vel non ens penitus, erit principium, siue affectio entis. Propterea dicendum censeo ens esse ab vno,

&

& ei conuenire proprie principia, & affectiones, non pro vniuersa latitudine absolute, sed pro parte, nec habere eadem, vel eodem modo principia pro omni parte, sed varia pro distinctis partibus, ueluti pro parte æterna, & mortali conuenientia solum in aliquo communi ab uno, & si volumus gradibus omnibus rerum conuenire principia, dicendum est eis principia conuenire saltem minus proprie, & late sumpta; sic Deus habet principia saltem explicantia illum; & quoad nostrum modum cognoscendi; quæ principia mox in priora principia resolui nõ possunt; Intelligentiæ citra Deum habent, & hæc, & alia principia; substantiæ demum corporeæ proprie sumptis principiis præditæ sunt; Hæc omnia possunt considerari ut entia, ideo inquit Aristoteles in 4. Metaphy. contex. 2. quapropter & entis, quatenus ens quascunque species speculari vnius est scientiæ genere, species autem specierum: Sic itaque dum dicimus ens habere principia, ut ens, reduplicatur tunc non vniuersa entis latitudo, sed ea solũ, quæ est subiectum metaphysicæ contradistinctum a principiis. Hoc etiam prætereundum non est, longe secus se habere de reduplicatione alicuius generis uniuoci, & eius, quod est ab uno, nam uniuocum est, natura una in omnibus eadem, & propterea id quod cum reduplicatione subiecto tribuitur conuenit omnibus eodem modo. Id vero quod est ab uno, non est natura una in omnibus eadem, sed uaria, & propterea id, quod cum reduplicatione ei tribuitur non conuenit contentis sub eo, eodem modo: Ad postremam difficultatem sumptã ex auctoritate Auerrois patet solutio ex dictis.

Ex his itaque patent uariarum difficultatum solutiones.

Patet quomodo metaphysica constituatur, & non constituatur per substantias abiunctas.

Insuper constat enti, ut ens pariter uniuersę latitudini entis conuenire, & non conuenire principia.

Demum explicatum est uniuocis, & his, quæ sunt ab uno uario modo conuenire reduplicationem.

Quæ causarum genera à Metaphysico considerentur. Cap. VIII.



VEMADMODVM de subiecto metaphysicæ, ita de principiis, & causis eius uariæ sunt Peripateticorum sententiæ: Censuit Auerroes, & cum eo Zimara, & plurimi ex Latinis, naturalem considerare omne genus causæ tãquam principium sui subiecti, solum tamen in genere materiæ, & efficientis posse resoluere, usque ad primum: de prima materia patet ex 1. Physi. de primo efficiente patet ex 8. Metaphysicum uero solum cõsiderare formam, & finem, & in his resoluere usq; ad primum; materiam uero, & efficientem, ut principia sui subiecti non considerare, quoniam abstrahit a motu, a transmutatione, & a materia; Hæc autem duo causarum genera cum motu, & transmutatione sunt principia rerum, & rebus conueniunt materiatis; Hanc sententiam minime ueram censeo, primo manifeste Aristoteles in 2. Phy. 71. & 73. inquit, quæ mouent non mota, ad Physicum non pertinere, sed ad diuinum, loquitur tunc Aristoteles de causa efficiente, quæ describitur per esse principium motus, & inquit pertinere ad diuinum: Præterea de materia hoc patet ex 12. Metaphy. vbi quærit utrum omnium prædicamentorum eadem sint principia, & manifestat actũ, & potentiam esse communia principia omnium, potentia autem ad materiam redigitur, cum itaque diuinus consideret actum, & potentiam, & consequenter materiam, vt principia entium in decem prædicamenta distributorum:

con-

conſpicuum eſt, quod cõſiderat materiam, ut principium ſaltem ſpeciei ſubiecti: Præterea hoc patet, quia materiam in prima notione ſolus diuinus exacte conſiderare, & explicare ualet: Inſuper hæc omnia manifeſte confirmantur per ea, quæ protulit Ariſtoteles in Prohemio metaphy. cap. 3. ubi manifeſtauit cognoſcendas eſſe a diuino primas cauſas, quia per eas ſcimus: & in 8. Metaphy. dixit rem eſse explicandam per omne genus cauſæ. Quod poſtremo confirmatur, quoniam id, quod proprie eſt ens, nempe ſubſtantia compoſita prædita eſt omni genere cauſę, & accidentia dicuntur entia, quia entis, hoc eſt, quia accidunt ſubſtantiæ, ſubſtantia autem dicitur accidentiũ cauſa, ut ſubiectum, & materia.

Colligamus itaq; metaphyſicum nedum conſiderare omne genus cauſæ, ut ſunt differentiæ, uel modi entis latè ſumpti, uerum etiam id facere, quatenus ſunt principia ſui ſubiecti, uel ſpeciei eius.

Patet itaq; Phyſicum in nullo genere cauſæ verè eleuari vſq; ad primum.

Patet inſuper diuinum conſiderare omne genus cauſæ, vt principium ſui ſubiecti.

Conſtat demum ſolum metaphyſicum in omni genere cauſæ ſuppremam verè conſiderare.

Dubia nonnulla, & ſolutiones.
Cap. IX.



VAria ſunt, quæ noſtræ ſententiæ primo intuitu aduerſari videntur; nam dubium primo apparet, quomodo Diuinus eas cauſas conſiderare valeat, quæ cum motu, & transmutatione cauſæ ſunt veluti materiam, & efficientem, cum diuinus, & à materia, & à transmuta-

mutatione abſtrahat: Præterea ſi materia, & efficiens ſunt principia entis, vt ens, erunt itaq; principia omnis entis, quod tamen falſum eſt: Inſuper manifeſte conſtat Ariſtotelem in 1. Phy. definire primam materiam; in 8. Phy. agere de primo motore, & frequenter aſſerere ſe primum motorem in eo libro declaraſſe, vt conſtat ex 1. & 2. de ortu, & Interitu, & ex libro de motu Animalium. & ex aliis locis. Demum patet Auerroem frequenter oppoſitum affirmare. His, & ſimilibus difficultatibus facile eſt reſpondere, ſi neglectis Latinis expoſitoribus, ſoli Ariſtoteli, & rationi credere voluerimus. Nam diuinus præſertim ſubſtantiam, & quid eſt conſiderat, vt affirmat Ariſtoteles in 4. 7. & in 12. metaphy. ipſi autem ſubſtantiæ, & quid eſt omnia genera cauſarum conueniunt, ideo Ariſtoteles in 8. metaphy. declarat principia interna explicare quid eſt, externa verò eſſe cauſas ipſius quid eſt: Ad primam difficultatem dum dicitur metaphyſicam eſſe ſcientiam de abſtractis, & abſtrahere à materia, & transmutatione; Reſpondeo eam eſſe ſcientiam de abſtractis, quatenus valet eleuari ad eorum conſiderationem, & quatenus abſtracta ſunt præcipuum quod in ea conſideratur, & per quod præſertim à Phyſico diſtinguitur; non autem ita eſt de abſtractis, quin valeat etiam conſiderare eſſentias rerum materiatarum, & earum cauſas, vt entia ſunt; & hac quoq; ratione Phyſica dicitur de mobilibus, diuina verò ſcientia de immobilibus; ſubſtantia itaq; materiata conſideratur à diuino, vt ſpecies entis, à Phyſico verò vt corpus phyſicum eſt: Ad ſecundam difficultatem dum dicitur ſi materia, & efficiens ſunt principia entis, vt ens, erũt itaq; principia omnis entis; Reſpondeo, enti, vt ens in ſecunda, & tertia ſignificatione conuenire quidem principia, & cauſas, at non eodem modo, non enim eſt reduplicatio rei vniuocæ, ſed rei ab vno, ideo ratione diuerſitatis ſpecierum entis, & graduum eius, varia, & diuerſa ſunt

principia

principia, & quorundam plura, quorundam pauciora esse possunt, vt substantiæ Cœli pauciora sunt principia, substantiæ verò mortalium plura, quare hæc est vera entis, vt ens sunt principia, non tamen entis ut ens sunt omnia principia. Insuper si absq; distinctione significationum entis uolumus dicere enti, ut ens conuenire principia, & affectiones, dicendum est, quòd ea dictio, vt intelligi debet non pro reduplicatione, sed pro explicatione modi, quo ei in suo gradu principia conueniunt, & de eo considerantur. Ad Aristotelem, qui in Physicis agit de prima materia, & primo motore; Respondeo Physicum resoluere quidem usq; ad primam materiam, assero tamen metaphysicum magis eo eleuari, quia ille solus ualet materiã in prima notione, & per ea, quæ absolutè ei conueniunt considerare; at materia in prima notione, & consideratione absoluta est prior se ipsa considerata in secunda notione, & cum relatione. De primo motore hanc dico esse regulam ab Aristotele seruatam, quòd id solum dicitur ad aliquam scientiam pertinere, in qua consideratur essentia eius, essentia primi motoris ad diuinum pertinet, ueluti essentia humani intellectus, ideo quamuis à Physico de iis uaria dicantur, & eis uaria tribuantur, tamen, quia solus diuinus attingit essentiam, non autem Physicus, ideo absolutè dicuntur ad diuinum pertinere, ut patet ex 1. de Partibus Animalium. & ex 2. Phy. 71. necnon 73. contextibus: Ad Auerroem oppositum sæpe asserentem: Respondeo me cum eo hac de re non conuenire cum censeam illum dissentire ab Aristotele; & si aliqua in parte eius sententiam tueri uolumus, dicendum est illam eatenus esse ueram, quatenus facta comparatione inter metaphysicum, & Phisicum: Consideratio formæ, & finis magis est propria diuini; consideratio materiæ, & efficientis magis est propria Physici: modus per quem materia, & efficiens causæ sunt, proximior est considerationi Physicæ, reli-

reliquarum uero diuinæ: Demum ea ſententia uera eſt, in conſideratione rei, quæ potiſſima eſt inter ea, quæ à diuino conſiderantur, nempe in conſideratione Intelligentiarum, quibus nec materia, nec propriè efficiens conuenit ex ſententia Ariſtotelis.
Conſtat itaq; aduerſas rationes facile ſolui.

Vtrum metaphyſica ſibi cæteras ſcientias ſubalternet, ac de ſubalternatione Opinio prima. Cap. X.


ETAPHYSICAM eſſe ſcientiam liberam, dominam omnium, ſupremam inter diſciplinas humano ingenio inuentas, ac formatas, conueniunt profectò omnes, nũ uerò ita cæteras ſcientias ſibi ſubiiciat, ut ei ſubalternæ iudicari debeant maxima eſt lis, & opiniones ſunt uariæ, quæ difficultas, ut conuenienter diſſoluatur conſiderandæ ſunt primo conditiones ſubalternationis, ex earum enim notitia poterimus deinde cognoſcere, quæ diſciplinæ debeant iudicari ſubalternæ quæ verò minimè: Inquiunt nonnulli hanc vnam eſſe conditionem ſubalternationis, vt conſiderata in ſcientia ſuperiori gratia ſciendi, in inferiori dirigantur ad opus, ex quo inferunt nullam ſubalternatam eſſe ſcientiam, & addunt hanc ſolam conditionem in 1. Poſter. ab Ariſtotele fuiſſe aſſignatam. Huius opinionis eſt Epiſcopus Caſertanus in ſua Logica, necnon in libro de Honore, ex cuius opinione, nec Phyſica, nec mathematica poſſunt iudicari ſubalternæ metaphyſicæ: Proculdubio eius opinio vera non eſt; Primò ſi accuratè Ariſtotelis verba in 1. Poſter. perpenduntur nunquam ab Ariſtotele de huiuſmodi conditione

tione fit mentio. Præterea falſum eſt, quod omnis diſciplina ſubalternata ſit Ars, nulla ſit ſcientia: nam Ariſtoteles in primo Poſterio. cap.10. aſſerit dari muſicam, mathematicam, hoc eſt contemplatiuam, & ſcientialem, pariter & Aſtrologiam mathematicam, quæ tamen proculdubio Arithmeticæ, vel Geometriæ ſubalternantur. Inſuper Ariſtoteles in primo Poſterio.cap.11.Perſpectiuam inter ſcientias enumerat, eamque aſſerit cognoſcere propter quid, inquit enim figurarum autem maximè faciens ſcire prima eſt; mathematicæ enim ſcientiarum per hanc demonſtrationes conficiunt: vt Arithmetica, Geometria, Perſpectiua, &c. & tamen nulli dubium, quod Perſpectiua ſubalternatur Geometriæ, vt idem Philoſophus aſſeruit cap.10.Inſuper addit in eodem 10. cap. quòd Perſpectiua dicit propter quid, Phyſica vero, quia ipſius Iridis, quod minime eſſet verum, niſi Perſpectiua eſſet ſcientia, non enim ſcientia ſubalternatur Arti. Colligamus itaque non eſſe de conditione ſubalternatæ diſciplinæ, vt conſiderata in ſuperiori gratia ſcientiæ, in inferiori dirigantur ad opus. At nituntur id ſuadere, quoniam inquiunt inanis eſſet ſubalternata, ſi ea quoque propter ſcire, eadem principia conſideraret, nec etiam a ſua ſuperiori eſſet diſtincta, quoniam rem eandem ob eundem finem ſpecularetur; ſed vt falluntur in concluſione, ita in oſtenſione eius, nõ enim ſequitur, quod eſſet inanis, quoniam quod ſine contractione in ſuperiori conſideratur, mox in inferiori contrahitur, & applicatur alicui determinatæ materiæ, vt lineæ conſideratæ vniuerſæ in Geometria, mox in Perſpectiua contrahuntur ad radios oculorum, ſiue ad lineas iunctas cum eis: & quamuis finis cõmunis ſit, idem, vt puta contemplatio, tamen finis proprius uarius eſt: At inquiunt Perſpectiuam, Aſtrologiam, Coſmographiam, & alias ſimiles eſſe Artes, quoniam dirigunt ad operationem: vt Aſtrologus ad futurorum prænotionem: Perſpe-

ctiuus ad operationem in attinentibus ad uisum, & sic de singulis. Cum hoc dicant profecto ex vno in plura labuntur absurda: nam Astrologiæ finis non est futura prædicere, sed cognoscere pertinentia ad Cœlum per principia, & demonstrationes mathematicas, pariter de Perspectiuo dicendum est, quod si ex eis sequatur operatio aliqua, proculdubio ea censeri debet extra terminos scientiæ, & fructus aliquis Astrologiæ, ac Perspectiuæ, non autem proprius finis, non secus ac naturalis, magia dicitur fructus scientiæ naturalis.

Constat itaque hanc minime esse conditionem subalternatæ, vt considerata in superiori in gratiam scientię, in inferiori dirigantur ad operationem.

Ex quo sequitur non esse necesse, vt omnis subalternata sit Ars.

De Subalternatione Opinio secunda.
Cap. XI.



ALII ex aduerso reperiuntur Viri docti, qui inquiunt de ratione subalternationis esse, vt superior, & inferior eundem seruent cōsiderandi modum, adeo vt sola scientia subalternetur scientiæ, & Ars Arti, non autem Ars scientiæ subalternari possit, neque scientia Arti: Hinc ortum ducit ea enunciatio; scientia, quæ subalternatur speculatiuæ est speculatiua: Inquiunt qui sunt huius opinionis scientiam subalternatam nil addere modo considerandi superioris mutando illum, sed solum addere rei consideratæ, vt Geometra considerat lineam, vt quanta est, Perspectiuus considerat lineam visui iunctam, pariter vt quanta est; hinc scientia subalternata non auget scientia-

ſum numerum, ſed redigitur ad genus eius cui ſubalternatur. Ex quo ſequitur nec Phyſicam, nec Mathematicam ſubalternari metaphyſicæ, quia uariatur modus conſiderandi. Confirmatur hæc opinio, primo, quia vt genera ſubalternata ſunt eiuſdem generis prædicamenti, ita ſciẽtiæ, & diſciplinæ ſubalternæ eiuſdem generis, conſiderationis, & ordinis eſſe debent, quod non contingeret, ſi in varios fines dirigerentur. Præterea id ipſum patet exemplo earum mathematicarum, quæ verè, & propriè ſubalternæ ſunt: Inſuper ſcientia vere ſubalternata debet vere locari ſub ſua ſuperiore ſubalternante, rectè autem ſubordinantur illę, quæ in vnum finem tendunt, quæ vero ad varios diriguntur, poſſunt in parte, at non abſolutè ſubalternari. Hæc quoque opinio dubia eſt, nam ſi Ariſtotelem ſequi volumus proculdubio inueniemus non tam arctè eum ſubalternationem explicaſſe; Ariſtoteles enim in 1. Poſterio. de ſcientiis ſubalternatim poſitis uerba fecit, & non alibi; at ibi minimè huiuſmodi cōditiones ponit, nec ex eius dictis colliguntur, immo oppoſitum potius, inquit enim muſicam poni ſub Arithmetica, Artem conficiendi machinas ſub Stereometria: At muſica eſt Ars cum dirigat ad operationem, pariter diſciplina conficiendi machinas Ars eſt. Præterea in cap. 7. manifeſtans non dari tranſitum ex vna ſcientia in aliam, inquit, quare aut abſolutè neceſſe eſt, idem eſſe genus, aut modo aliquo, ſi debet demonſtratio deſcendere; & poſt pauca addit, neque unius ſcientiæ eſt oſtendere id, quod eſt alterius, niſi quæcunq; ſic ſe habent ad inuicem, vt alterum ſit ſub altero, &c. Ariſtoteles itaque pro ſubalternatione hoc ſolum ponit, vt vna ſit ſub altera, adeo ut ſubiectum inferioris ſit in parte idem cum ſubiecto ſuperioris. Hi vero alias conditiones fingunt, & imaginantur, quòd ſi de ſubalternatione loqui volunt, de qua non ſit loquutus Ariſtoteles, ipſi propriam ſubalternationem, & eius conditiones ſibi fingunt.

Hinc medicam Artem vere ſubalternari putandum eſt naturali philoſophiæ, ut conciliator recte exiſtimauit, medica enim ars verè ſub naturali philoſophia poſita eſt, vt aſſerit Ariſtoteles in libro de ſenſu, & ſenſili; neque eſt difficile ſatisfacere rationibus aduerſis, dum.n. inquiunt, ſubalterna debere eſſe eiuſdem generis: Reſpondeo aliá eſſe rationem generum eiuſdem prædicamenti, aliam uerò ſubalternatarum ſcientiarum, conueniunt enim quatenus in vtriſq; vnum ſub altero ponitur; & ab iiſdem principiis communibus pendent; Differunt verò, quia prædicamenta ſunt vna ſeries vniuoca rerum; ſubordinatæ verò diſciplinæ vniuocationem non expoſcunt, nam verſari poſſunt in genere ab vno; & quemadmodum operatio dirigitur à cognitione, ita ex ſubordinatis diſciplinis ſuperior ad contemplationem, inferior ad operationem reſpicere poteſt. Hinc veram non cenſeo ſententiam Zimaræ Theoremate 77. dum inquit in vera ſubalternatione ſuperiorem eſſe, vt genus, inferiores verò ut ſpecies illius generis, & propterea ſubalternatas non augere numerum diſciplinarum. Nam eiuſdem eſt genus & ſpecies conſiderare vt dicitur in 4. metaph. ideo propriè ſe habent ut ſpecies ad genus illæ, quæ ſunt partes eiuſdem ſcientiæ, uelut dum conſideramus, quod in naturali philoſophia agitur primo in libris Phyſicorum, de corpore phyſico in genere, mox de ſpeciebus eius: & in logica, primo de Syllogiſmo vniuersè, mox verò de demonſtratione, & aliis, & tamen nec libri de Cœlo ſubalternantur libro Phyſicorum; nec libri Poſteriorum libro Priorum; immò addo, quod loquendo de verè ſubalternatis inferior non eſt ſpecies ſuperioris, non enim Perſpectiua eſt ſpecies Geometriæ, nec Muſica Arithmeticæ, nam ſi ſpecies eſſent, quia genus de ſpecie prædicatur, Perſpectiua eſſet Geometria, & muſica eſſet Arithmetica quod falſum eſt: Et dum addunt ſubalternatam non

tam non augere numerum, hoc non dicitur ab Aristotele, neq; semper verum est, dico tamen, quod subalternata vt subalternata non auget numerum, vt verò dirigit ad finem distinctum, & includit varium considerandi modum, valet numerum augere: Confirmationem sumptam ex disciplinis, quæ subalternantur puris mathematicis iam constat ex dictis eis aduersari, & nostræ sententiæ fauere: Ad postremum dum dicebatur verè subordinari disciplinas illas, quæ in vnum finem tendunt. Respondeo disciplinas in vnum finem tendentes magis necti, magisq; conuenire, at non vnam alteri magis subiici, nec magis inferiorem à superiore pendere, quòd solum requiritur ad propriè sumptam subalternationem.

Colligamus itaq; ad veram subalternationem non requiri, vt subordinatæ disciplinæ in vnum finem tendant.

Et propterea non veram esse illam sententiam, subalternatas non augere numerum.

Neq; alteram quod scientia subalternata speculatiuæ sit speculatiua.

Neq; demum quòd subalternata sit tanquam species superioris.

De subalternatione Opinio propria. Cap. XII.



T disciplinæ veræ sint subalternæ requiritur, vt vna verè sub altera collocetur, vt autem hoc fiat, quia disciplinæ in sui subiecti cōsideratione versantur, & ex eo ordinem, & conditionem suscipiunt, ideo requiritur, vt subiectum inferioris, sub illo superioris contineatur, adeo vt à superiori recipiatur cum aliqua contractione: hæc conditio ponitur ab Aristotele in 1. Poster. cap. 7.

his

his verbis. quare, aut absolutè necesse est, idem esse genus, aut aliquo modo si debet demonstratio descendere, &c.nã Genus, siue subiectum modo aliquo est idem in scientiis subalternatis, & dum dicimus subiectum modo aliquo debere esse idem, hoc minime debet contrahi ad modum considerandi, sed sat est, vt sit modo aliquo idem ratione rei consideratæ; Et quoniam ex subiecto sumuntur principia, & principia totius saltem remotè sunt principia partium, inde euenit, quòd si inferior recipit subiectum à superiori, etiam recipiet principia, hinc oritur secunda conditio, quòd principia complexa inferioris sint conclusiones superioris; hoc dixit Aristoteles in 1. Poster. cap. 7. his verbis: Si verò non sit idem genus absolutè, sed vt Musica per Arithmeticam huiusmodi demonstrantur quidem similiter, sed differunt, nam ipsum quia, alterius scientiæ est, subiectum enim genus alterum est, sed propter quid est superioris: id ipsum clarius confirmatur ab Aristotele cap. 10. Hæ duæ conditiones ex Aristotele colliguntur non aliæ: Ex quibus infero, & Artem posse verè subalternari scientiæ, & scientiam scientiæ, & artem arti, scientiam verò arti nequaquam. Quod verè ars subalternetur scientiæ; patet de variis artibus, quæ à Physico principia prima, & subiectum recipiunt: Insuper patet de illis artibus, quæ Geometrię, Stereometrię, & Arithmeticæ subalternantur, quamuis enim dirigant ea, quæ considerant in varium finem, nihilominus tamen suę superiori subiiciuntur, & præsertim, quia de ratione operantis est, vt à contemplatione dirigatur, & ideo per hoc seruatur, non euertitur subalternatio: Quòd etiam scientia subalternetur scientiæ patet exemplo Astrologiæ, scientiæ de Iride, & aliarum, quæ quamuis intra suos limites constitutæ non sint scientiæ, quia non resoluunt in prima immediata; tamen quia finis earum est veritas, propterea, vt complicatæ cum sua superiori, & virtute eius scientiæ

sunt;

sint; nam Syllogismus cum prosyllogismo scientiam parere potest; & meretur nuncupari demonstratio. Ars quoq; subalternari potest Arti; nam artes vni principi arti inseruientes,& ad finem eius ordinatæ, dicuntur ei subalternari,quatenus in aliquo uersantur pertinēte ad Principem illam artem, & à fine eius tanquam à communi principio diriguntur, ut se habet de artibus ad militarem disciplinam conducentibus: Ex hactenus explicatis colligere modo ualemus solutionem propositæ difficultatis: Occurrebat dubitatio, utrum metaphysicæ cæteræ omnes scientiæ, & artes subalternentur,dicēdum censeo eas subalternari,uel proximè,uel remotè,quòd autem Naturalis philosophia, & mathematica proximè subalternentur patet,quia subiectum inferioris est pars subiecti metaphysicæ, ut dicitur ab Aristotele sub initium quarti metaphy. Præterea metaphysica probat principia earum, ut dicitur in eodem 4.metaphy. & clarius in 1.Poster. cap.7. ubi hæc uerba leguntur: Sic autem manifestum est, quoniam non est uniuscuiusq; propria principia monstrare, erunt enim illa omnium principia, & scientia eorum domina omnium &c. per quæ uerba denotauit metaphysicam; & in eodem capite inquit Aristoteles principia particularium scientiarum habere commune, id autem commune ad metaphysicam pertinet:sic itaq; cæteræ omnes artes, & scientiæ subalternantur metaphysicæ, immò Aristoteles in eo capite id tribuit metaphysicæ,& cæteris collocatis sub ea, quod etiam tribuit cæteris subalternatim positis, nempè vt liceat descendere in formanda demonstratione. At inquiunt multi ex Latinis naturalem,& mathematicam minime subalternari metaphysicæ, quoniam hæ scientiæ ualent resoluere usq; ad principia per se nota, per quæ alteri scientiæ non subiiciuntur: Falluntur profectò cum hoc dicunt, quoniam hæ scientiæ propriè sumpta principia minime resoluunt usq; ad per se nota,sed solum id faciunt

ciunt in nonnullis, quæ ſunt principia noſtræ cognitionis non rei, ueluti accipit naturalis motum eſſe, multa entia eſſe, at loquendo de principiis, quæ etiam cauſæ ſint, uerè ſubiiciuntur metaphyſicæ, & ea recipiunt à metaphyſico, ut inquit Ariſtoteles. Et dum dicitur ſubalternatas non facere numerum; dicendum eſt eas non facere numerum, quæ ſeruant eundem conſiderandi modum, & ad eundem finem reſpiciunt, ſed dum hæc uariantur, utiq; numerum augere dicuntur.

Conſtat itaq; duas eſſe conditiones ſubalternationis.

Inſuper patet, & ſcientiam ſcientiæ, & artem ſcientiæ & artem Arti ſubalternari poſſe.

Demum conſtat metaphyſicam ſibi cæteras ſcientias, & artes, uel proximè, uel remotè ſubalternare.

FINIS LIBRI TERTII.



ANDREAE



ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBER QVARTVS.



De Scientia.

Enumeratio Scientiarum. Cap. I.



SCIENTIAE nomen tribus vſurpari modis ſatis eſt conſpicuum; nonnunquam enim latè accipitur pro omni diſciplina, quæ methodo, & ordine traditur, in qua ſignificatione, etiam artes, & Ciuilis Prudentia nuncupantur ſcientiæ: ideo Ariſtoteles in Procemio Ethicorum Ciuilem diſciplinam nuncupauit ſcientiam, & Galenus in arte parua, medicam

artem ſcientiam appellauit; Nonnunquam accipitur id nomen magis propriè pro habitu contemplatiuo per demonſtrationem acquiſito contradiſtincto ab actiuo, & effectiuo in qua ſignificatione etiam ſapientia eſt ſcientia, & in eadem ſignificatione ab Ariſtotele definita fuit ſciẽtia in 1. Poſter. Demum accipitur ſcientia pro habitu ne dum contradiſtincto ab effectiuo, & actiuo, verum etiam a ſapientia, & intelligentia, in qua ſignificatione Ariſtoteles in 6. Ethicorum, ſcientiam inter habitus intellectus numerauit; In qua poſtrema ſignificatione conſilium meũ eſt, de Scientia in hoc libro verba facere; Vt autem ab eius definitione ordiar, dico ſcientiam eſſe habitum intellectus, ac partem ſpeculatricis Philoſophiæ, demonſtratione acquiſitam, quæ in partibus eius quod eſt, veritatem inquirit, dico in partibus quoniam ea, quæ uniuerſe id quod eſt conſiderat, ſapientia dicta eſt: Partes eius quod eſt ad ſcientiam pertinentes duæ ſunt, corpus ſcilicet phyſicum, vt præditum interno initio motus, & quantum, ut quantum eſt: Ex his conſurgunt duo ſcientiarum genera Naturalis nempe philoſophia, & mathematica: ratio eſt, quoniam ſcientiæ omnes debent verſari in eo quod eſt, quod enim non eſt definitione, demonſtratione, cauſiſque caret: propterea ad ſcientiam non pertinet: Id quod eſt, vel conſideratur uniuerſè, uel in parte, ſi uniuerſe ſapientiam conſtituit; ſi in parte, uel ea pars eſt ſubſtantia ſeparata, vel ne: ſi eſt ſubſtantia ſeparata ea pariter ad ſapientiam pertinet, ſi autem non eſt ſubſtantia ſeparata, ſed aliquod corporeum, & materiatum, uel eſt ſubſtantia, vel accidens: ſi eſt ſubſtantia, alia eſſe non poteſt niſi Phyſica, omnis enim ſubſtantia corporea, & materiata Phyſica eſt, & inde conſurgit Phyſica, ſi uero eſt accidens, id accidens, vel conſideratur, ut affectio corporis phyſici, ac terminus eius, & ſic ad Phyſicum pertinet, vel conſideratur cum abſtractione à corpore phyſico, quod autem eſt huiuſmodi

iusmodi nil aliud, præter quantitatem esse potest, quoniã ea sola est prima accidentium, & non exposcit certum subiectum, vt reliqua accidentia, ideo potest abstrahi, & considerari sine suo subiecto, & inde consurgit mathematica; His plures inueniri non possunt; Naturalis philosophia cum uersetur in corpore naturali, quod est genus unum scibile in multis conueniens, ideo est scientia una considerans communia, & propria specierum eius. De mathematica non sic se habet, ea enim uersatur in quantitate, quæ in continuam, & discretam distribuitur, quarum communia paucissima sunt, propria uero plurima; Ideo mathematica commnnis negligitur, & conspicua non est, quamuis ea quoque dari possit, quæ consideret communia omni quantitati; partes autem apprime sunt conspicuæ, earumque distinctio manifesta est, cum plurima ea sint, quæ vel continuæ, vel discretæ quantitatis sunt propria, & ea inter se apprime differant. Hinc oritur distinctio mathematicarum in Geometriam, & Arithmeticam, Geometricæ sunt, uel puræ, uel mediæ: pura est Geometria, cui apprime iuncta est Stereometria; mediæ uero sunt Astrologia, Cosmographia, Perspectiua, Quæstiones mechanicæ; Arithmeticæ pariter uel sunt puræ, & est Arithmetica, uel mediæ, & est musica.

Constat itaque scientiam contradistinctam ab arte, & sapientia esse duplicem, Physicam, & mathematicam.

Insuper patet cur maior in mathematica, quam in Physica reperiatur multitudo, & distinctio, quamuis in vtrisq;, & communia, & propria inueniantur.

An Mathematica sit pars Philosophiæ. *Cap. II.*




ATVRALEM Philosophiam esse philosophiæ contemplatiuæ partē fatentur profectò omnes, de mathematica uero non cō ueniunt, nonnulli asserunt, alii negant esse partem philosophiæ. Alexander in Proœmio Priorum eam propterea non esse partem philosophię affirmat, quoniam philosophia contemplatiua a græcis Theorica, hoc est rerum diuinarum speculatrix, dicta est; mathematica uero nequaquā diuina, sed sola accidentia speculatur, nō itaque digna est nomine philosophiæ. Confirmatur eadē sentētia ratione ex fine sumpta, nā finis philosophię est fœlicitas, ad quā solū remotè parat, non autē proximè perducit Mathematica. Præterea Mathematica substantiam nō considerat, solū versatur in quantitate, & eam imperfectissimè cognoscit, ut ex sequentibus apparebit, nō itaque censeri debet pars philosophiæ. Ideo Aristoteles in 4. metaph. dixit tot esse philosophiæ partes, quot substantiæ; ex aduerso videtur esse pars philosophiæ; nā Aristoteles 12. metaphy. contex. 44. mathematicam appellat nomine philosophiæ, & in 6. metaph. contex. 2. eandem appellat Theoricam, quamuis diuina non speculetur. Præterea omnis scientia est pars philosophiæ, ad philosophum enim pertinet bonum, & verum inquirere, cū autem mathematica sit scientia, necessario pars philosophiæ censeri debet; Dicamus itaque philosophiam esse latitudine præditam, & includere partes vel magis, vel minus a fine distantes, & ideo quasdam magis, quasdam minus esse dignas nomine philosophiæ, nomen enim a fine sumptum est; Proxima fini, immo ea, quæ sola finem

attin-

attingit, & ad illum nos eleuat est metaphysica, eam sequitur Philosophia Naturalis, remotissima est mathematica, ideò minimè omnium eo nomine digna est; Insuper mathematica dupliciter potest considerari, primo in se, & ratione eorum, quæ eius sunt propria, secundo, vt iuncta cum aliis scientiis, & ad alias conferens, & eleuans in prima consideratione minus propriè potest dici pars philosophiæ, in altera vero propriè magis, quamuis enim mathematica non speculetur, diuina tamen nos parat, & eleuat ad eorum contemplationem. Ex his constat, quomodo mathematica sit, & non sit Philosophiæ pars, & quomodo rationes pro omni parte solui debeant. Nam mathematica comparata cum aliis partibus Philosophiæ est certitudine quoad nos prima, abstractione media, dignitate, & certitudine quoad naturam postrema, & ideò postremo loco digna est nomine Philosophiæ.

Quas causas consideret mathematicus. Cap. III.



QVONIAM mathematica est contemplatio quædam, & scientia, ac ei conueniunt principia, causæ, & elementa, vt dicitur in 6. metaphy. iure considerandum occurrit quod genus causæ à mathematico consideretur: Ex vna parte apparet mathematicum includere omne genus causæ, vt opinatur Simplicius in expositione primi tex. primi Phy. & in 2. Phy. nam de forma conueniunt omnes, res enim mathematicæ sunt formæ, quas cũ definiat mathematicus, & earum definitionibus vtatur, iure dicitur demonstrare per formam, definitio nanq; formę forma est; cum definitio sit eadem cum definito. Ideò Aristoteles in 2.Phy.68. dixit mathematicum demonstrare per

re per formam, & resoluere quæsita in definitiones, quæ formæ sunt; Et quoniam forma, & finis in idem venire dicuntur, vt dicitur in 2. Phy. propterea etiam finem videtur includere, quod asseruit Aristoteles in 11. metaphysi. inquiens errare eos, qui aiunt mathematicas carere fine, præsertim cum innumeras præbeant vtilitates. Insuper, quia finis videtur supponere causam efficientem, vt inquit Auerroes, in cap. de substantia orbis. ideo etiam efficientem includere videntur; Et confirmatur, quoniam inquit Auerroes in 2. Poster. 38. medium demonstrationis esse extra quiditatem eius, quod demonstratur, causa autem quæ est extra quiditatem externa est, & dicitur vel finis, vel efficiens. Quod etiam mathematicus consideret materiam patet ex Aristotele, qui in 7. necnon in 8. metaphy. eis tribuit materiam intelligibilem; vt etiam in 3. de Anima. contex. 10. & in 2. Poster. exemplo mathematico declarauit materiam ingredi demonstrationem; Ex aduerso inquit Alexander ex relatione Simplicii in Proemio Phy. commento 1. & cum eo Auerroes mathematicum ex causis solam considerare formam, & Aristoteles in 2. Phy. 68. id ipsum affirmat, inquiens mathematicum vltimò resoluere in formam, & quid est: Pro resolutione præsentis difficultatis, dico, mathematicam posse considerari dupliciter, primò vt est scientia, & habitus nostri intellectus per demonstrationem acquisitus, in aliquem finem ordinatus, in qua consideratione ei proculdubio conuenire possunt modo aliquo omnia genera causarum; Secundo potest considerari, vt scientia demonstrans de suo subiecto affectiones per mediam causam, in qua consideratione dico mathematicum propriè considerare solam formã & per solã formã demonstrare; Hoc patet, quia mathematicus abstrahit à principiis motus, & à propriè sumpta materia; ideo nec causam efficientẽ considerat, quæ per motũ definitur, nec propriè sumptũ finẽ, qui causam efficientem

cientem ſupponit, vt dicitur ab Ariſtotele, in 3. metaphy. & ab Auerroe in cap. de ſubſtantia orbis; pariter nec materiam propriè conſiderat, cum ab eà abſtrahat, & cum verſetur in ſolis formis, & earum inquirat affectiones, iure pro medio maximè vtitur definitionibus formarum, à quibus affectiones fluunt, quæ cum ſint definitiones formarum, & definitio ſit eadem cum definito, rectè dicuntur formæ, & mathematicus dicitur per formam demonſtrare: Ad rationes pro alia parte, dum oſtenditur mathematicis conuenire finem: Reſpondeo eis conuenire finem, vt ſcientiæ ſunt, & apprimè vtiles, at non finem, quẽ conſiderent, & per quem demonſtrent; & dum dicitur formam in idem venire cum fine; Reſpondeo id non eſſe verum de mathematicis formis, quoniam mathematicus abſtrahit à motu, forma enim in idem venit cum fine, quatenus eſt finis generationis, & motus, & hanc cenſeo cauſam, quòd formæ mathematicæ non veniant in idem cum fine, vt colligitur ex Ariſtotele 3. metaphy. contex. 3. non autem eam, quam referente ſimplicio in 2. Phy. 73. afferebat Alexander, qui aſſerebat formam in idem venire cum fine, dum ea conſideratur ſub ratione boni, vt quòd melius ſit homini rectam habere figuram, quàm pronam, ꝗ de mathematicis non dicimus, non enim aſſerimus melius eſſe circulo habere lineas ductas à centro æquales, quàm non æquales: At hæc ratio læuis eſt, quoniam forma obtinet rationem finis, non reſpectu ſui, ſed reſpectu alterius, & præſertim agentis, & ideo non debemus conſiderare an melius ſit circulo habere lineas à centro ductas æquales, necne, quoniam hoc eſt eſſe circuli; & ſine hoc non eſſet circulus, ſed figura circuli obtinet rationem finis, dum conſideratur in alio, vt finis operantis, & producentis illum; habent itaq; mathematicæ finem extra eas poſitum, ad quem conferunt, ſed non demonſtrant per eum, neq; illum conſiderant cum abſtrahant à motu; ex quo ſe-

quo ſequitur, quòd neq; etiam conſiderant cauſam efficientem, cum efficiens ſit principium indè motus: Et dum additur, quia demonſtratio eſt per ea, quæ ſunt extra quiditatem; Reſpondeo quamuis medium non ſit quid, ſed dicat propter quid affectionis, quæ demonſtratur, attamen dicit quid ſubiecti & explicat formam aliquam, à qua fluit ea affectio, quæ non ſubit rationem finis, vel efficientis, niſi includat motum; nam dicimus quod generãs, & dans formam dat conſequentia formam. Ad inſtantiam de materia, reſpondeo mathematicum includere materiam, non propriè ſumptam, ſed intelligibilem, & per eam non propriè demonſtrare, niſi quatenus eſt pars definitionis, & modo aliquo ad formam redigitur, & quamuis Ariſtoteles in 2. Poſter. indicet materiam mathematicorum eſſe medium demonſtrationis, dicendum eſt, quòd id facit gratia exempli, non autem, quia verè mathematicus per eam demonſtret, niſi modo iam explicato.

Colligamus itaq; mathematicum propriè per ſolam formam demonſtrare.

Quæſit materia mathematicorum Opinio Alberti. Cap. IIII.



ATHEMATICIS cõuenire materiam ſæpè ab Ariſtotele affirmatur, vt patet ex 3. de Anima. 11. ex 7. metaphy. 35. 39. ex 8. pariter metaphy. contex. 16. conſueuit Philoſophus materiam diuidere in ſenſibilẽ, & intelligibilem, ac eam mathematicorum intelligibilẽ eſſe dixit; Verùm quæ nam ſit huiuſmodi intelligibilis materia non manifeſtè conſtat; cenſuit magnus Albertus in 5. metaphy. tractatu 3. cap. 2. & in 1. Phy. cap. 3. & cum eo D. Thomas, Ioannes Gandauenſis, Egidius, & multi ex Latinis,

Latinis, materiam intelligibilem esse substantiam priorem qualitatibus sensibilibus, considerat enim hunc ordinem, primò materiam primam, secundo formam substantiæ, tertiò quantitatem, quartò qualitates sensibiles; Aggregatum ex prima materia, & forma substantiæ asserunt esse materiam intelligibilem, quæ sub sensum non cadit, sed solo intellectu percipitur, siue illa substantiæ forma sit forma corporis de prædicamento substantiæ, vt censuit magnus Albertus, siue sit alia forma, per quam corpus constituatur, vt censet D.Thomas parum refert, hoc itaque aggregatum iudicant esse materiam intelligibilem, materiam verò sensibilem inquiunt esse corpoream substantiam qualitatibus affectam, censent itaque Mathematicum considerare quantum seiunctum à materia sensibili, quæ in quarto gradu posita est, non autem ab intelligibili: hinc magnus Albertus ponit triplex corpus, vnum Metaphysicum, & est compositum ex prima materia, & formá corporis, quæ substantia est, alterum Mathematicum, quòd superaddit quantitatem, tertium Physicum, quòd qualitates includit. Fundamentum principale, quo vtitur D.Thomas in 2.Phy. est quoniam Aristoteles in 5. Metaphy. inquit prius posse abstrahi à suo posteriore, at non è contrà: cum itaque materia sensilis sit posterior quantitate, materia verò intelligibilis sit prior, iure Mathematicus valet abstrahere à materia sensibili posteriore, non autem ab intelligibili priore; Confirmatur eadem sententia, primò, quia si Mathematicus abstraheret à substantia, versaretur in eo, quod non est, quoniam accidentis esse est alteri hoc est substantiæ inhærere. Insuper sua abstractio esset mendacium, quia consideraret quantitatem sine substantia, sine qua non habet esse, & ideo rem consideraret secus ac esset: Præterea si secus esset, euerteretur sententia Aristotelis in 7. metaphy. con tex. 4. dicentis substantiam esse priorem accidentibus co-

gnitione, & natura, ita enim accidens, ſine ſubſtantia cognoſceretur. Præterea euerteretur ſententia Ariſtotelis in 4.metaphy.contex.4.dicentis, tot eſſe philoſophiæ partes, quot ſunt ſubſtantiæ. Inſuper euerteretnr eiuſdem philoſophi ſententia 2.metaphy.contex.4. ut res ſe habet ad eſſe, ita ad veritatem; quod autem hæc ſequantur manifeſte conſtat. His itaque, & ſimilibus rationibus moti nonnulli affirmarunt mathematicum minimè a ſubſtantia abſtrahere, ſed definire per eam, & addunt mathematicum in ſuis definitionibus includere ſubſtantiam aliquo trium modorum: uel ſcilicet propria conſideratione, & virtute, eam in definitionibns exprimendo, vel ſaltem cõfuſe eam ſignificando; uel demum accipiendo definitiones ſuas a metaphyſico, qui per ſubſtantiam definit.

Prima itaque opinio eſt materiam intelligibilem, & mathematicam eſſe ſubſtantiam ex ſola prima materia, & forma ſubſtantiæ conflatã, quæ ſit in potentia ad quantitatem.

Euerſio huius opinionis. Cap.V.



MATERIAM mathematicorum eſſe ſubſtantiam profectò aduerſatur Ariſtoteli, rationi, necnon mathematicis contemplationibus; aduerſatur primo Ariſtoteli, qui in 12. metaphy. 44. inquit ex mathematicis ſolam Aſtrologiam contemplari ſubſtantiam: neque ſatisfacit ſolutio dicentium, cæteras conſiderare ſubſtantiã ſolum confuſe, Aſtrologiam vero diſtincte, vel aſſerentiam, cæteras contemplari ſolam ſubſtantiam intelligibilem, Aſtrologiam vero ſenſibilem; hæc inquam euaſio nulla eſt; primò, quia Aſtrologus ſolum confuſe ſubſtantiam conſiderat, non diſtincte vt docuit Simplicius ex ſententia Gemini,

Gemini,& Alexandri in 2.Phy.17.& Auerroes in 1.metaphy.commento 19. Secundo, quia Aristoteles absolute inquit cæteras mathematicas non considerare substantiã. Insuper Aristoteles non de modo considerationis,vel confuso, vel distincto loquitur, sed absolute de cõsideratione substantiæ. Præterea Aristoteles in 11.metaphy.cap.3. inquit mathematicum cæteris circunscriptis solum sibi de relinquere quantum, & continuum. Præterea considero tertium contextum secundi de Anima, ubi inquit Aristoteles corpus physicum esse principium cæterorum corporum, & consequenter esse principium corporis mathematici, quod minime verum est, si corpus mathematicum esset substantia,& includeret materiam, & formam corporis, hoc enim est priùs corpore physico, & consequenter corpus mathematicum esset principium corporis physici, non è contra. Præterea id ipsum patet ex mathematicis contemplationibus, & ex omnibus pertinentibus ad eas; nam primo si ad principia respicimus inueniemus punctũ, & unitatem principia statui, quæ nullam includunt substantiam, & ideo inquit Geometra, ex fluxu puncti produci lineam, ex fluxu lineæ superficiem, ex fluxu superficiei corpus,in qua magnitudinum constitutione, nulla de materia,quæ de substantia est fit mentio: Insuper cognoscimus mathematicum ex causis solam considerare formam, & in eam postremo resoluere demonstrationes, ut dicitur in 2. Phy. 68. Præterea considerando omnes definitiones, quibus utuntur mathematici in nulla apparet ullo pacto materia, quæ substantia sit, sic linea dicitur longitudo, sine latitudine, superficies dicitur longitudine, & latitudine prædita carens profunditate, in quibus nulla de substantia fit mentio. Præterea hoc patet considerando proprietates mathematicorum, dũ vtimur modo considerandi mathematico, dicimus corpus posse augeri in infinitũ, corpus in infinitum reddi posse rarius, uel densius, quæ

minime essent uera, nisi mathematicus abstraheret a materia, quæ substantia est, materia enim quæ est substantia habet certos terminos extensionis, raritatis, & densitatis. Præterea mathematicus dicitur abstrahere à motu, dicitur scientia ex abstractione, & certissima, quæ ei non conuenirent, nisi abstraheret à materia prima, & à substantia; quod ostendo; nam primo dicitur abstrahere à motu, non autem physicus, vt dicitur in 2. Physic. 19. at Physicus propterea dicitur includere motum, non quia definiat substantias physicas per motum, sed quia eas definit per principia interna motus; at si mathematicus non abstraheret a prima materia, & à substantia, ipse quoq; non diceretur abstrahere a motu, quia non abstraheret à materia, quæ principium est generationis, & transmutationis. Insuper non diceretur scientia ex abstractione, quoniam omnis scientia vtitur abstractione, & omnis scientia ualet abstrahere prius à posteriori, & definire sine posteriori: & tamen sola mathematica nuncupatur ab Aristotele scientia ex abstractione, propterea putandum est, id ex eo euenire, quia sola abstrahit à suo priori, & a substantia, sibi subiecta, quod manifestissimè affirmauit Aristoteles in 2. Phy. 18. inquiens, de his igitur agit mathematicus, sed non ea considerat, vt termini sunt physici corporis, neq; accidentia speculatur quatenus talibus existentibus accidunt, &c. asserit itaq; Philosophus mathematicũ abstrahere accidentia ab eo, cui accidunt, id autem, cui accidũt prius est nõ posterius, nam vt dicitur in in 1. Phy. contex. 52. subiectum prius est prædicato: Demum scientia mathematica non esset certissima; nam certitudo mathematica oritur ex re considerata, & modo considerandi simul, præsertim tamen ex modo considerandi; oritur ex re considerata, quia considerat quantum quod est sensibile commune ex se satis conspicuum; sed hoc nõ est satis, quoniam huiusmodi quantitates etiam considerantur

tantur à Physico, cuius considerationes non dicuntur certæ; ideò præsertim ea certitudo pendet ex modo considerandi, quatenus scilicet quantitatis non considerat obscura, & Latentia principia; quę substantiæ sunt; insuper quatenus abstrahit à materia prima, quæ inconstantiæ, & obscuritatis est origo, propterea per abstractionem à materia scientiæ includunt acriuiam, vt dicitur in 1. Poster. Ex quo constat, quòd si mathematicæ includerent materiam primam essent obscuræ, obnoxiæ inconstantiæ, & permutationi.

Patet itaq; veram non esse eorum sententiam, qui inquiũt mathematicum non abstrahere à substantia.

Opinio Propria. Cap. VI.



QVONIAM patuit mathematicorum materiã, quæ intelligibilis nuncupatur non esse substantiam, ideo cum Simplicio, Philopono, Themistio, Alexandro, Eustratio, immo cum Platone, & Aristotele colligo mathematicum in solis accidentibus versari, & abstrahere à substantia: remanet tamẽ considerandum, quid nam sit ea materia, quæ intelligibilis dicitur: ea profectò non est substantia vt patuit, neq; est quantitas seiuncta à qualitatibus, vt inquit Zimara Theoremate. 7. nam quantitas est res considerata à mathematico, cui materia intelligibilis conuenit, non autem est ipsa materia. Inquit Simplicius in Proœmio Phy. in expositione primi. contex. materiam mathematicorum esse numeros, interualla, & sonos, at nimium confusè eam explicauit, propterea dicamus materiam mathematicorum esse continuum, vt dicitur in 3. de Anima. 11. & partes, vt dicitur in 2. Poster. & in 7. metaphy. 39. continuum nuncupatur materia, primò, quia est illud, quod terminis clauditur,

tur,& terminatur; secundo, quia à continuo oritur infinitum,& diuisio, quæ duo sunt conditiones materiæ, & ex materia pendere dicuntur: Partes quoq; frequenter ab Aristotele,& in 6.metaphy.& in 7.& in 2.Phy.& in 2. Poster.dicuntur materiæ, primo in ordine ad totum, quod est,vt forma adueniens,vel consurgens ex partibus,secundo quia in partibus consideratur diuisio quædam, multitudo, & potentia, quæ à materia proficiscuntur, & ratione materiæ rebus conueniunt. Hæ duæ intelligibiles materiæ,ita se habent,vt prima includat secundam, non è contra: cui enim conuenit continuum, conueniunt & partes, non è conuerso: Geometriæ conuenit vtraq; materia; Arithmeticæ vna solum nempe partes, ideo Arithmetica dicitur absolutè prior, magis abiuncta, & certior quàm Geometria:Et quoniam ex materia oritur infinitum, ideo vtriq; quantitati,& continuæ,& discretæ,infinitum conuenit; dicitur continuum natum augeri, natumq; diuidi in infinitum, discretum verò dicitur natum in infinitum augeri, non autem in infinitum diuidi; Insuper quoniam continuum magis est materiatum,quam discretum, & infinitum insequitur materiam; iure dictum est ab Aristotele in 3.Phy.contex.1. infinitum primo apparere in continuo,quia enim continuum est diuisibile in infinitum, ideo numerus partium potest in infinitum augeri: Ex quo lucidè soluitur quædam dubitatio,quæ nonnullos turbauit, & varia dixerunt: quibus potius implicarunt quam explicarunt ambiguitatem: Difficultas est, quia si Arithmetica est prior, quàm Geometria,& priori prius conuenit affectio, quomodo infinitum dicitur primo conuenire continuo,mox numero? Ad quam dicimus,quod Arithmetica absolutè est prior, at sub ratione inclusionis materiæ non prior,sed posterior est: Geometria enim magis materiata est, ideo infinitum, quod insequitur materiam primo conuenit Geometriæ, infinitum enim insequitur eam con

ditionem,

ditionem, per quam ſcientia eſt poſterior, ideo prius poſteriori conuenit. Neq; eſt difficile aduerſis rationibus ſatisfacere. Ad primam dum dicitur poſterius non poſſe abſtrahi à ſuo priori; Inquit Sueſſanus in 2. Phy. mathematicum non abſtrahere, vel quia definitiones accipit à metaphyſico, vel quia confusè ſaltem materiam includit: Eius ſententia vera non eſt, iam patuit in præcedentibus nullo modo in mathematica conſideratione, & definitionibus includi materiam, accedit, quod ſi materia includeretur in principiis, etiam includeretur in aliis pendentibus ab eis, quod tamen minime verum eſt. Dicamus itaq; mathematicas in ſuo genere, & modo conſiderandi eſſe quidem perfectas, abſolutè tamen eſſe apprimè diminutas, & imperfectas, vt manifeſtaui: poſterius in cognitione abſolutè perfecta non poteſt abſtrahi à ſuo priori, ſed in cognitione perfecta in genere, abſolutè verò imperfecta poteſt abſtrahi. Sententia Ariſtotelis vera eſt de ſcientia diſtincta, & abſolutè perfecta, dum enim abſolutè loquimur, ad id, quod abſolutè perfectum eſt reſpicimus. Dum additur, quia verſaretur in eo, quod non eſt, & eius abſtractio eſſet mendacium. Reſpondeo mathematicum non verſari in eo, quod non eſt, ſed in ente, non tamen conſiderato ſub ratione entis, ſed ſub ratione quanti, & ideo per accidens verſatur in ente, quia non id conſiderat, vt ens, ſed conſideratione poſteriore ſupponente rationem per quam eſt ens. Inſuper quamuis de ratione accidentis, vt accidens eſt, ſit alteri inhærere, tamen non eſt de ratione eius, dum conſideratur, vt quantum, nam prætermittit prius, & ſolum conſiderat poſterius: non enim mathematicus conſiderat quantum ſub ratione accidẽtis, neq; eius abſtractio eſt mendacium, quia ſolum eſt, cum præciſione conſiderando quantitatem, non conſiderata ſubſtantia: non autem cum cõpoſitione, & diuiſione aſſerendo quantitatem ſubſiſtere ſine ſubſtantia, hoc enim mendacium

eſſet.

esset. Ad Aristotelem in 7. metaphy. dicentem substantiam esse priorem accidentibus cognitione, & natura; Respondeo id esse verum de cognitione absolutè perfecta, & distincta: at cognitio principiorum mathematicę est perfecta in genere, absolutè autem est confusa, & imperfecta: Ad auctoritatem ex 4. metaphy. contex. 4. dico tot esse partes Philosophiæ propriè sumptę, quot sunt substantiæ, at mathematica non est propriè dicta philosophia, vt patuit: Ad Aristotelem in 2. metaphy. contex. 4. dico vt res se habet ad esse, ita ad veritatem in cognitione absolutè perfecta. Insuper sat est pro veritate, vt ea, quæ rebus tribuuntur eis conueniant, & hoc seruatur etiam in mathematicis.

Patet itaq; materiam intelligibilem mathematicorũ non esse substantiam, sed continuum, & partes.

Ostensum est etiam Geometriæ vtranq; materiam conuenire, Arithmeticæ vnicam.

Demum solutæ sunt aduersæ rationes, & est ostensum, cur infinitum prius conueniat continuo.

An mathematicæ mediæ sint magis Physicæ, vel magis mathematicæ. Cap. VII.

INTER varias difficultates, quæ pertinent ad eas disciplinas, quæ mediare dicuntur inter Physicas, & mathematicas, hæc instituto nostro præsertim inseruire videtur, an magis sint mathematicæ, vel potius magis Physicæ: Nonnulli existimarunt eas proximius accedere ad Physicam considerationem, quòd præsertim ex Aristotele colligi existimant, qui in 2. Phy. contex. 20. de eis loquens, inquit, demonstrant autem hoc, & quæ ex mathematicis magis Physicæ sunt, vt Astrologia, &c. Insuper

in

in eodem contex. inquit Perſpectiuum conſiderare lineã, vt Phyſica eſt, cum dicat, vt Phyſica eſt, quia reduplicatio reſpicit formam, ideo indicat modum conſiderandi eſſe phyſicum, & quia a forma fit denominatio, iurè itaq; abſolutè magis phyſica cenſeri debet: Confirmatur, quia denominatio recipitur a fine, vt inquit Ariſtoteles in 2.Phy. 14. & in 5. Phy. 48. ſed ſcientiæ mediæ ordiuntur a conſideratione mathematica, deſinunt in conſiderationem naturalem, nectendo ſeparata a mathematico cum corpore phyſico, vt inquit Ariſtoteles in 2. Phy. 20. quare abſolutè nominari debent potius phyſicæ, quàm mathematicæ. Ideo D.Thomas in 2.Phy. in explicatione contex. 20. cenſet eas magis eſſe phyſicas. Hæc opinio nec Ariſtoteli, nec rationi eſt conſona; nam Ariſtoteles ubi de eis facit mentionem, ſemper aſſerit illas eſſe ex genere mathematicarum, vt patet in 2.Phy. 20. 12. metaphy. 44. 2. metaphyſi. cap. 2. 1. Poſterio. & alibi, quod minime faceret ſi magis eſſent phyſicæ, denominatio enim fit ex eo, quòd exuperat, ac dominatur: Quòd ratione oſtenditur, nam huiuſmodi ſcientiæ ſubalternari dicuntur mathematicis puris, non phyſicæ; ſubalternatæ autem ſunt ex genere ſuarum ſuperiorum. Præterea ſcientiæ conſurgunt ex demonſtratione, demonſtrationes vim habent a medio, & a principiis, media, & principia, quibus vtuntur hæ diſciplinæ mediæ, ſunt mathematica non phyſica, quare demonſtratio erit mathematica, & propterea etiam ſcientia; Confirmatur poſtremò, quia quamuis hæ ſcientiæ mediæ dicantur nectere ſeiuncta a mathematico cum rebus phyſicis; attamen ſolum nectunt, non autem propterea conſiderãt interna principia, & naturam rerum phyſicarum: ut cum Gemino dixit Alexander, & approbauit ſimplicius in 2. Phyſi. 17. quamuis enim Aſtronomus figuram rotundam iungat Cœlo, & conſideret motum Cœli, tamen interrogatus, quæ ſit ſubſtantia Cœli, a quo moueatur Cœlum;

profectò vt Astronomus non cognoscit, & respondere nō valet, & D. Thomas quamuis in 2. Phy. 20. asserat has disciplinas magis esse physicas, attamen in expositione Boetii inquit eas magis esse mathematicas: Iauellus vollens remouere contradictionem dixit has disciplinas medias ratione materiæ, & finis magis esse naturales, ratione principiorum, & medii magis esse physicas: at hoc satisfacere nō videtur; Primo, quia adhuc non erit soluta dubitatio, adhuc quęram nunquid absolutè debeant censeri magis physicæ, quam mathematicæ: præterea verum non est quod ratione materiæ, & finis magis sint physicæ, nam materiā recipiunt à mathematico, cui subiiciuntur, & eam considerant, vt quanta, quæ est mathematica consideratio, & propterea ea materia potius est mathematica; Pariter verus finis mathematicus est, non physicus, nam si finis sumitur; vt in idem venit cum forma, & modo considerandi, vtique forma, & considerandi modus mathematicus est: Præterea finis demonstrationum, & termini sunt principia, & media earum, in quæ fit resolutio demonstrationum, & in quæ resolutio terminatur, vt inquit Aristoteles in 2. Phy. 68. at huiusmodi mathematica sunt, quare proprium finē considerando, à quo recipitur denominatio, potius est mathematicus, quàm Physicus, nō itaq; vera est ratio D. Thomæ in 2. Phy. dum inquit: Huiusmodi autem scientiæ licet sint mediæ inter scientiam naturalem, & mathematicam, tamen dicuntur hic à Philosopho magis naturales, quàm mathematicæ, quia vnumquodq; denominatur, & speciem habet à termino, vnde quia harum scientiarum consideratio terminatur ad materiam naturalem, licet per principia mathematica procedat, magis sunt naturales, quàm mathematicæ, hæc inquam ratio nullius momenti est, quia quamuis dicatur desinere ad rem naturalem, quia nectunt rem abiunctam cum corpore physico, tamen hæc non est finis demonstrationis, & scientiæ, vt scientia est, à

quo debet accipi denominatio, nam si id esset absolutè deberent dici magis physicæ, cuius oppositum ipsemet affirmat in expositione Boetii, quare dicamus D. Thomã hæc protulisse, quia minus rectè assumpsit verba Aristotelis in 2.Phy. Colligamus itaq; eas absolute magis esse mathematicas,& esse ex genere mathematicarum; & dum Aristoteles inquit eas esse magis physicas, dico Aristotelem se declarare, nuncupat eas magis physicas non absolute, sed inter mathematicas,nam absolute eas nuncupat,& asserit esse mathematicas, facta tamen comparatione inter mathematicas puras, & medias,ait eas magis accedere ad Physicam,supple quàm accedât puræ mathematicæ; nam puræ mathematicæ magis distant à consideratione physica,& est, ac si diceret inter Cœli orbes lunam esse magis elementarem,ex eo tamen non sequitur, vt magis sit elementaris,quàm Cœlestis: & dum additur quia Aristoteles inquit Perspectiuum considerare lineam, vt Physica est: Respondeo eam non esse veram reduplicationem, sed solum denotare, quod considerat lineam, vt Physica est,hoc est nectendo illam cum materia, & accedendo modo aliquo ad considerationem physicam, non autem quia eã considerat modo considerandi physico, nam id falsum profecto esset: Ad postremam confirmationem,quia desinunt in considerationem natnralem: Responsio patet ex dictis, quamuis enim nectant rem mathematicam cum physica,& in hoc desinant,tamen non eam considerant,vt pendet ab internis principiis eius,& à natura, neq; ille est finis scientiæ,& demonstrationis, à quo sumitur denominatio;nam huiusmodi est medium demonstrationis, quod cum sit mathematicum,illæ scientiæ debent iudicari absolute mathematicæ.

Constat itaq; errare eos, qui mathematicas medias magis censent esse physicas.

Constat insuper eas absolute esse mathematicas, facta ta-

men comparatione cum purè mathematecis eas magis esse similes physicæ, quàm puræ mathematicæ.

Demum patet rationes, & fundamenta primæ opinionis læuia esse, immo ex eis colligi oppositum potius.

De naturali scientia in quo versetur. Cap. VIII.



NATVRALIS philosophia tam latè patet, ac adeò se extendit ad omnia, vt putauerint primi philosophi, veluti Empedocles, Demeritus, & alii hanc esse philosophiã primã, & omniũ supremã, nil enim in vniuerso reperitur, ad quod modo aliquo non se extendat eius consideratio, quorum sententia vera, equidem esset, nisi supra physica corpora aliquid diuinius reperiretur, vt eorum fuit sententia: verum quia diuinæ mentes mundo præsunt, ideo vt corporeus mundus Deo, ita naturalis philosophia metaphysicæ subiicitur: Inter ea, quæ de naturali philosophia nobis consideranda occurrunt, hoc principatum obtinet, quod nam dicatur esse genus illud scibile, siue materia, & subiectum in quo versatur, qua de re cum multa dicantur, & sententiæ sint variæ, hanc potiorem censeo, vt corpus physicum ea ratione, qua physicum subiectum eius, & materia esse dicatur, dum dico corpus physicum, vt physicum nil aliud denoto nisi corpus natura constans præditum interno principio motus vel mutationis: & quia huiusmodi est vniuersus mundus corporeus iure subiectum naturalis philosophiæ dici debet mundus corporeus, vt præditus interno principio motus. Hac de re quamuis Latini sint discordes, tamen græci miro consensu conuenerunt, & iure quidem, nam id censeri debet subiectum, cuius principia, affectiones, & partes quæruntur, & ad quod

ad quod omnia referuntur, quæ in ſcientia conſiderantur: huiuſmodi autem proculdubio eſt corpus phyſicum, nam Ariſtoteles in libris Phyſicorum, corporis phyſici declarat principia, corpus enim phyſicum, vel mortale, vel æternum eſt; principia corporis phyſici mortalis in primis libris declarantur, principia corporis phyſici æterni per quandam analogicam conuenientiam explicantur in eodem primo libro propriè tamen & diſtinctè in octauo Phy. manifeſtantur; ea namq; ſunt motor, & mobile: Inſuper in 3. Phy. proponuntur explicandæ communes affectiones corporis phyſici, & in ſequentibus libris declarantur; Demum in libris ſubſequentibus ſingulæ ſpecies corporis phyſici manifeſtantur, & nil conſideratur cuius declaratio non referatur ad explicationem corporis phyſici, iurè itaq; corpus phyſicum eſt ſubiectum, quod manifeſtiſſimè indicauit Ariſtoteles in principio primi, & tertii. de cœlo. D. Thomas in 1. Phyſicorum dixit ens mobile eſſe ſubiectum; ſectatores eius non conueniunt, quid per ens mobile denotauerit, at prætermiſſis eorum diſcenſionibus, aſſero per ens mobile proculdubio denotaſse corpus phyſicum, nam mobile phyſicum circunſcribit, ideo etiam Ariſtoteles in 6. metaphy. & in 12. ait naturalem in re mobili verſari, mobile veluti nobis notius circunſcribit phyſicum, vt motus circunſcribit naturam, rectius tamen loquimur dicendo phyſicum, quàm mobile, quoniam phyſicum eſt principium, quod circunſcribitur, & eſt prius, ratione cuius corpora mouentur, & à phyſico conſiderantur, quod autem per ens denotauerit illud, quod corpus eſt, ipſemet manifeſtauit in 1. contex. primi Phy. inquiens. De his quæ pendent à materia, ne dum quoad eſſe, ſed etiam quoad rationem eſt naturalis philoſophia, & quia omne, quod habet materiam mobile eſt, ideo omne mobile eſt ſubiectum; & poſt pauca: De his igitur, quæ habent in ſe principium motus eſt ſcientia naturalis &c. Ex his conſtat D. Thomã

nomine

nomine entis denotasse corpus, quod enim materiam includit, & præditum est principio motus, proculdubio corpus est: quod si asseruit subiectum esse ens, & non corpus cum nomine entis denotauerit corpus, ipsemet rationem in eodem loco assignat, inquiens: non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, nulla autem scientia probat suum subiectum, ideo statim in principio de Cœlo incipit notificare corpus &c. censet itaq; subiectum esse illud ens, quod est mobile, ens mobile est corpus, at id esse corpus non constat, sed ostēditur in 6. Phy. & propterea debemus subiectum proferre sub ratione notionis, huiusmodi est ens mobile: constat enim omne mobile esse ens, at minime constat esse corpus; Propterea nonnunquam etiam idem D. Thomas dicit subiectum esse corpus mobile, vt facit in libro de Cœlo, necnō in 4. Phy. in expositione tex. 64. & in 1. Poster. nouit enim corpus mobile, & ens mobile idem esse, sola ratione distingui: solum asseruit in Procemio Phy. absolute loquendo debere dici ens mobile esse subiectum, non quia non idem sit cum corpore nobili, sed quia non patet esse idem, & notum est omne mobile esse ens, non autem esse corpus & ab Aristotele in 6. Phy. ostenditur hoc non illud: ex his constat primò Diuum Thomam ratione rei non dissentire à Magno Alberto, & Egidio, qui dixere corpus esse subiectum: constat secundo eum in solis verbis dissentire à Græcis expositoribus: Patet 3. eum sibi ipsi constare, nec sibi aduersari, ut inquit Pomponatius, & censent alii multi: Addo quarto quamuis sententia D. Thomæ de subiecto naturalis philosophiæ uera sit, tamen rectius loqueretur si diceret corpus physicum esse subiectum, quam asserendo ens mobile; neq; alicuius momenti est ratio eius, dū ostendit nos debere accipere ens, & non corpus, quia dum asserimus corpus physicum esse subiectum proculdubio ex se cōstat dari corpora physica prędita interno principio motus, vt

tūs, vt dicebat Ariſtoteles in 2.Phy.contex.6. & hoc ſatis eſt pro præexiſtenti cognitione ſubiecti: Pręterea ea ratio D.Thomæ ſupponit, quod ſi darentur mobilia, quæ eſſent entia,& non corpora,quod ea ad phyſicū pertinerent,quæ ſententia,vt cenſeo uera non eſt; nam Angeli, vt mobiles noti Theologis,& anima ſe mouens ex ſententia Platonis proculdubio ad Phyſicum non pertinent, quamuis concederetur ab Ariſtotele, quod ex ſe mouerentur; quia ut inquit in ſecūdo Phy.& in calce primi: Phyſicus tenetur eas formas conſiderare, quæ ſunt mortales, quæ ſunt termini generationis, & quæ nequeunt ſeparari à materia niſi ſola ratione.

Ex his itaq; conſtat ſubiectum naturalis phyloſophiæ eſſe corpus phyſicum.

Conſtat ſecundo corpus phyſicum eſſe Mundum corporeum præditum interno initio motus.

Patet Demum D.Thomam in verbis potius, quam in ſententia diſſentire ab Alberto,Egidio, & Græcis expoſitoribus.

Diuiſio Naturalis Philoſophiæ. Cap. IX.



QVONIAM ſcientia actu eſt eadem cum re ſcibili,vt in 3.de Arima.37.teſtatur Ariſtoteles, ſcientia enim eſt res ſcibilis in eſſe cognito, & ſpiritali, ſiue, quòd idem eſt per imitationem,& repræſentationem. Ac inſuper, quia pertinentia ad naturalem philoſophum uariis modis diuidi poſſunt: Propterea etiam naturalis phyloſophia multiplici ratione in partes uarias ſecari nata eſt:primo diuiditur,quoniam uel eſt de communibus omni corpori naturali, vel de his, quæ propria ſunt ſingula-

rum partium: de communibus agitur in libris 8. Phy. in aliis ad magis propria descenditur: hanc diuisionem tetigit Aristoteles in 1.Phy.57. inquiens est enim secundum naturam cōmunia primo dicentes, mox circa unūquodq; propria speculari: Insuper libri ad naturalem philosophiā pertinentes, vel sunt de natura infra animam collocata, vel sunt de natura per uniuersum animæ mortalium gradum extensa; De natura infra animam collocata agitur vsq; ad libros de Animalibus,& absoluitur eius considera tio in libris Meteorum: De natura autem,ut eadem est cū anima agitur in reliquis libris: Hanc distinctionem innuit Aristoteles in Proęmio 1. Meteorum,vbi repetens declarata in præcedentibus,addit Reliquum est, aliquid huius methodi,quod Meteorologiam appellant,indicat Aristoteles eius methodi, & primæ partis solam superesse Meteorologiam, & ita manifestat libros Meteorum esse finem primæ partis Naturalis philosophiæ, cui succedunt pro altera parte libri de Animalibus, & plantis: Diuiditur, & tertio Naturalis philosophia in partem de principiis,quales sunt primi duo physicorum, & libri de Anima; in Libros de corporibus physicis per naturam infra animam collocatam, vt libri de Cœlo,& Meteorologici: in libros de habentibus corpus, quales sunt libri de Animalibus, demum in libros de affectionibus, vt sex postremi libri Phy.Libri de ortu,& interitu,& demum libri illi, qui vulgo parua naturalia nuncupantur. Hanc diuisionem indicauit Aristoteles in 1.contex.primi de Cœlo, vbi naturalem philosophiam dixit versari in consideratione corporum,habentium corpus, principiorum, & affectionum: Postremo diuiditur Naturalis philosophia in sex potiores partes: In prima agitur de communibus principiis, & affectionibus: In secunda agitur de Mundo, & præsertim de parte eius æterna: In tertia,de his, quæ sunt communia rebus mortalibus solum, & præsertim de simplicium

corporum


corporum ortu, & interitu: In quarta de affectionibus tendentium ad mixtionem, vsque ad perfectè mixta: In quinta de Animalibus, anima, & affectionibus Animalium: In postrema de Plantis: ex his diuisionibus primò colligo considerationem animæ verè esse physicam, non autem mediare inter considerationem physicam, & diuinam, vt minus rectè censuit simplicius, qui considerans, quòd anima rationalis ferè ab omnibus media iudicatur inter physica, & diuina, & præsertim a platonicis, ac insuper putans animam non esse naturam, sed supra naturam, etiam censuit eius considerationem esse supra considerationem naturalem, & mediare inter Naturalem Philosophiam, & diuinam: at errauit profectò, omnis enim forma substantiæ a materia pendens uerè natura est, & ad naturalem pertinet; anima uerò rationalis varia consideratione partim ad Physicum, partim ad diuinum pertinet; Insuper colligo, libros de fossilibus, & metallis redigi ad partem meteorologicam, & inter quartum Meteorum, & libros de Animalibus alium gradum corporum naturaliũ non mediare: hoc manifestauit Aristoteles in calce quarti Meteorum, vbi iunxit libros Meteorum, cum libris de Animalibus, quod etiam indicauit in Procœmio primi Meteorum.

Colligo itaque Naturali Philosophiæ quatuor diuisiones optimè conuenire.

Insuper Animalium, Animæq; considerationem verè esse physicam.

Demum libros de Mineralibus nouum gradum ab enumeratis distinctum non constituere.

De Communibus attinentibus ad Naturalem Philosophiam. Cap. X.



VONIAM institutum meum est de habitibus Animæ solum vniuersè disserere, propterea loquens de Naturali Philosophia in communibus nonnullis versabor, propria vero singulis eius partibus prætermittam, ne ab instituto meo nimium recedam. De Communibus ad vniuersam Naturalem philosophiam differitur in illis libris qui de naturali auscultatione inscribuntur, & propterea illi libri iure primo legendi occurrunt, non ob tres illas causas ab Auerroe relatas, verum præsertim ob alias duas, quæ ex Aristotele colliguntur, prima est, quoniam sine notitia principiorum, & communium minus communia, & pendentia à principiis cognosci non possunt, vt patet ex 1. contex. necnon ex 3. cap. sexti topicorum. Altera est, quia ordo librorum præsertim debet respondere ordini naturæ, vt colligitur ex 1. Physi. 57. & ex initio libri de sensu, & sensili. Libri Physicorum varia ratione sunt cum de principiis, tum de uniuerso corpore physico, propriè tamen, vt de subiecto sunt de corpore physico vniuersè considerato, quod physicum corpus non definitur in primo de Cœlo: vt perperam censuit Auerroes, & eius sectatores, sed in secundo Phy. & iure profectò, nam definitio subiecti communis attinet ad libros de principiis, & ex notitia principiorum colligitur notitia definitionis subiecti: ideo Aristoteles in secundo Phy. contex. 4. declarans quid sit habens naturam, declarauit quid sit corpus naturale, idem enim est habens naturam, & corpus naturale, quod patet, quia Aristoteles in primo de Cœlo, contex. 5. circunscribens corpus naturale, col-

colligit definitionem ex secundo Physico. Iure meritò consideratio communium attinentium ad naturalem philosophiam in duas partes distribuuntur, in considerationem principiorum, & considerationem communium affectionum, quarum potissima motus est; nam ex horũ duorum cognitione consurgit exacta notitia corporis physici vniuersè considerati: Hinc euenit, quod libri Phy. diuiduntur in libros de principiis, & libros de motu: Qua de re cum omnes Græci conueniant, magna tamen est lis, quinam debeant censeri libri de principiis, qui vero de Motu. Simplicius una cum Andronico, Eudemo, & Damascio, censet primos quinque esse de principiis, tres postremos de Motu: Philoponus, & Porphyrius quatuor primos censent de principiis, reliquos de Motu: Non desunt, qui duos primos, & octauum iudicent de principiis, quinque medios de Motu: quos omnes a sententia Aristotelis recedere existimo; nam proculdubio duo soli primi sunt de principiis, sex postremi de Motu, quod ex eo patet, quia Aristoteles in libris Physic. præsertim duobus Procemiis utitur, vno in primo Phy. in quo proponit declaranda principia, causas, & elementa: Altero in tertio Phy. in quo proponit considerandas communes affectiones, non vteretur in tertio Phy. nouo Procemio, nisi iam absoluisset proposita in primo, at in Procemio primi Phy. Proposuit consideranda principia; sequitur itaque vt in secundo Phy. sit absoluta prima pars pertinens ad explicationem principiorum: Præterea ibi præsertim agitur de motu, vbi motus proponitur considerandus, definitur, & cætera ad illum pertinentia manifestantur, hoc fit in tertio libro, & sequentibus alioquin sequeretur considerationem motus diminutam, & imperfectam esse, non enim exactè explicantur omnia attinentia ad motum in tribus postremis libris: At respondet Simplicius in tertio, & quinto libro disputari de Motu vniuersè, ut quid com-

bet censeri de motu : Non desunt alii, qui ob huiusmodi dubitationes putarunt libros Phy. in tres partes esse diuidendos, inquiunt enim primum, & secundum esse de principiis tertium, & quartum de communibus affectionibus insequentibus naturam, reliquos de conditionibus cõmunibus ipsius motus, de qua triplici inscriptione nulla apud Græcos mentio fit, sed de duplici tantum : Insuper Aristoteles in Procemio Meteorum solum in duas partes diuidit considerationem horum librorum, inquit enim se disputasse de primis causis naturæ, & de omni motu naturali : Propterea dicamus solos duos primos libros esse de principiis, reliquos sex de motu : Et pro exactiore cognitione considerandum quod principia possunt accipi duobus modis, vel vt contradistincta à motu, & ita est vera sententia iam probata, vel pro omnibus cõmunibus, quæ vniuersè conueniunt corporibus physicis, in qua consideratione omnes octo libri possunt dici de principiis, in hac significatione, & consideratione loquitur Philosophus dum omnes hos libros appellat sermones primos, veluti in 2. de ortu, & interitu. 61. inquiens, continuo existente tempore, necesse est motum esse continum, si tempus nequit esse sine motu, vt in his, quæ in principio determinatũ est: & in 4. Cœli. 25. Octauum Phy. nuncupat sermones primos, & in 8. Phy. 40. librum sextum appellat cõsiderationem de natura vniuersè : In qua etiam consideratione putandum est, quod Aristoteles in 1. Cœli. 54. tertium librũ Phy. nuncupauerit de principiis : Et quamuis Aristoteles in 8. Phy. 58. sextum librum nuncupauerit primos sermones de Motu; adeo vt cum Simplicio videatur esse dicendum sextum esse librum primum de Motu: attamen dicendum est, Aristotelem per sermones primos de Motu denotasse sermones omnes præcedentes disponentes ad illam vltimam considerationem motus, non autem primũ principium considerationis eius.

Col-

Colligamus itaq; errare eos, qui quatuor, vel quinq; primos libros Phy. iudicãt de principiis, reliquos de motu. Et longè magis eos decipi qui vel octauum dicunt de principiis, vel libros diuidunt in partem de principiis, partem de communibus affectionibus, & partẽ de Motu. Rectam, & veram esse hanc sententiam, quod si principia latè sumantur, omnes octo libri sint de principiis. Si sumantur principia, vt contradistincta à motu, primi duo sint de principiis, reliqui sex de motu.

Ordo seruatus ab Aristotele in declaratione Principiorum, Causarum, & Elementorum. Cap. XI.



IN principiorum explicatione præsertim accurati esse debemus; ex eorum enim notitia pendet cognitio omnium: Propterea Aristoteles miro ordine, & diligentia de principiis, causis, & Elementis, verba fecit; nam vt exactam rerum naturalium, habeamus notitiã, quatenus ex principiis, & causis pendent, quatuor cognoscere debemus, primo à quibus principiis in earum, generatione pendeant, secundo ex quibus Elementis iam genitæ intrinsecus constituantur, tertio per quas causas siue internas, siue externas cognoscantur. Demum qualis sit modus, quo per naturam producuntur: in horum cognitione posita est exquisita cognitio principiorum, & quoniam generatio antecedit rem constitutam; res constituta cognitionem eius per causas, & causæ modum operandi: Hinc sequitur, quod primo agendum est de principiis, ex quibus res in fieri pendent; secundo de Elementis, ex quibus intrinsecus cõstituuntur: tertio de causis, per quas cognoscun-

scuntur: postremò de modo, quò natura suas actiones, suaq; opera producit: Hæc omnia accuratissimè seruauit Aristoteles, propterea vniuersa sua principiorum explicatio, diuisa est in quatuor partes, primam absoluit in 1. libro, in quo de principiis internis generationis rerum disseritur, ideo in calce colligit se de principiis egisse, & aliud sumendum esse exordium: secunda traditur in prima parte, secundi libri, vbi agitur de natura: prima enim Elementa dicuntur natura rerum; de tertia incipit verba facere in 27. contex. vbi disputat de causis: de quarta vero à cõtex. 75. vsq; in finem secundi libri, vbi declarat naturam agere propter finem, & ideo in rebus natura constantibus reperiri necessitatem ex suppositione finis. Hinc interrogati ex sententia Aristotelis quot sint principia interna generationis rerum naturalium secus respondere non valemus, nisi asserendo ea esse tria, materiam formam, & priuationem: Interrogati quot sint prima interna Elementa, quæ sunt natura rerum dicimus esse duo, materiam, & formam: Interrogati de causis dicimus esse quatuor, vt docet Aristoteles. Demum interrogati de modo agendi naturæ dicimus eam non temerè, sed propter finem operari. Insuper ex his patet, quòd quamuis Aristoteles in prima, secunda, & tertia partibus disseruerit de materia, & forma, tamen non inaniter repetit eorum explicationem, quoniam id facit consideratione distincta, & varia ratione. Insuper aliud quoq; seruare licet, quod in singulis horum quatuor capitum de vna causa præsertim verba facit, agens de internis principiis generationis, præsertim declarauit materiam cum priuatione ei iuncta, quia per materiam res fiunt; agens de Elementis præsertim explicauit formam, quæ primo est natura rerum: Agens de causis præsertim disseruit de efficiente, tum per se, tum per accidens, qualis est fortuna, & casus, quoniam apud antiquos causæ nomine denotabatur, præsertim efficiens, vt

asserit Plato in Philebo; & stoici mox eiusdem fuere sententiæ: agens demum de modo operandi Naturæ præsertim patefacit attinentia ad finem; Ex his quoq; constat decipi eos, qui considerationes primi libri, vel Physicam non esse censent, vel solum ex euentu præponi considerationi secundi libri, vt reiiciantur falsæ antiquorum sententiæ, hi non percipientes artificium Aristotelis vniuersum eius ordinem peruertunt; nam Aristoteles in 1. contex. absolute asserit, & ostendit primo disserendum esse de principiis, & id esse faciendum ex instituto, & per se non ex euentu, de quibus mox in calce Libri tanquàm in Epilogo se egisse colligit. Patet quoq; minus rectè sentire illos, qui secundum metaphy. præponendum censent secundo Phy. tanquam Procemium eius, vel censent esse communem introductionem ad Naturalem Philosophiam; Nam consideratio eorum, quæ habemus in primo libro iure merito antecedit, & primum locum sibi uendicat; Primo autem libro mirabili quadam connexione iũgitur secundus; hinc Aristoteles in duobus illis libris quatuor principia fecit, secundum fuit in 2. libro; tertiũ in 27. contex. secundi libri; quartum in contex. 75. vt appareat explicationẽ hanc cum rationi tum verbis Aristotelis summopere esse consentaneam.

Colligo ex dictis primo.

Interna principia generationis rerum tria sunt, materia, forma, & priuatio.

Secundo prima Elementa intrinsecus rem constituentia, duo materia, & forma.

Tertio causæ sunt quatuor, materia, forma, finis, efficiens.

Quarto Natura operatur propter finem, & in rebus natura constantibus reperitur necessitas ex suppositione finis.

Hæc admirabili connexione, & ordine explicauit Aristoteles, adeò vt in meliorem redigi non valeant.

Ordo

Ordo seruatus in explicatione communium affectionum. Cap. XII.

NON minus accuratum in seruando ordine, se prestitit Aristoteles dum de communibus affectionibus disseruit, quàm in declarandis principiis se indicauerit: Cum enim communes affectiones uarię sint, nẽpe motus, continuum, infinitum, locus, inane, & tempus; Motus debet censeri affectio prima, & iure quidem; nam huiusmodi affectiones considerantur non absolute, sed ut conueniunt corpori physico, quatenus physicum est: corpori physico, vt physicum est primo conuenit motus, quia proprie, & primo à natura motus pendet, eaq; per motum definitur, cæteræ autem affectiones eatenus sunt considerandæ, quatenus cum motu habent affinitatem, & ad motus constitutionem conducunt: hinc euenit, quod nedum primo est agendum de motu: verum insuper cæterorum considerationes, sunt implicandæ cum consideratione motus, & cum ea motus consideratione sunt nectendæ, cum qua magis conueniunt: sequitur insuper quod quamuis Aristoteles uarias corporis naturalis affectiones consideret: Vniuersa tamen earum consideratio debet inscribi de motu, quia omnes eatenus considerantur, quatenus nexũ habent cum corpore mobili; ut mobile est: Hæc omnia accuratissime seruauit Philosophus, nam motus uniuersę sumptus, ut exacte explicetur debet considerari primo assoluendo quæstiones simplices mox compositas: Vt pertinet ad simplices conspicuum est motum esse, & à physico ut principium supponitur. Propterea in 3. Phy. in principio considerationis motus, primo Arist. ostendit, quid sit tradẽs definitionem eius, mox cæteras affectiones de-

clarat cōplicatas cum natura, & constitutione motus, orditur autem ab infinito, reiiciendo infinitum actu, comprobando infinitum potestate: & hoc iure primo faciendum fuit, quoniam si corpus physicum actu infinitum esset, non moueretur, infinitum autem potentia intrinsecus constituit motum, & est communius continuo, conuenit enim infinitum, ne dum continuo, uerum etiam discreto, numerus nanq; in infinitum est natus augeri, propterea ut seruaretur motus reiiciendum fuit infinitum actu, & fuit approbandum infinitum, potestate: Ad hoc quoq; cōfert, quia infinitum ab antiquis pro principio omnium statuebatur, propterea primo reiiciendum fuit: Considerationi infiniti succedit loci, & inanis explicatio, ut comprobetur locus, reiicitur inane, nam locus satis proxime concurrit ad constitutionem motus, cum motus omnis, uel sit ad locum, uel circa locum uel illis conueniat, quæ sunt in loco, mox sequitur cōsideratio Temporis sine quo non fit motus, & modo aliquo idem est cum primo motu; Tempus autem locum supponit, cum locus etiam motū antecedat; in his itaq; omnibus congruens seruatur ordo, cum post definitionem motus, & explicationem quid sit, ea explicentur, quæ ad eius constitutionem conducunt qui ordo etiam clarior elucescit, considerando, quod infinitum pertinet ad esse ipsius motus, locus ad constitutionem, tempus ad motus mensuram dum constituitur; Quibus absolutis, in quinto libro Philosophus iterum ad motum reuertitur, iam enim erant explicata omnia pertinētia ad motus constitutionem; & quia post rei definitionē & pertinentia ad eam sequitur diuisio, iure in quinto secernitur motus à mutatione, ac insuper motus in suas species potiores distribuitur, ostenditurq; in quot prædicamentis reperiatur, diuisio autem ad quæstionem simplicem pertinet, & ad rem simplicem explicandam conducit: hinc euenit, quòd Aristo. in contex. 21. eius libri, colligens

ligens epilogo, quę declarauerat, inquit: Quid igitur motus, & quid quies, & quot sint mutationes, & quę ex mutationibus sint motus patet ex dictis. &c. adeo quòd nectit declarata in tertio cum declaratis in quinto indicans intermedia esse declarata, vt complicata cum hac consideratione motus; absolutis attinentibus ad quæstionem simplicem, accingitur Philosophus ad compositarum explicationem, & declaraturus qualis sit motus, & propter quid, declarat uarios terminos ad id conferentes; veluti quid sit simul, separatim tangere, inter, consequenter, contiguum, continuum; & quoniam considerando qualis sit motus, primò occurrit vnitas, & multitudo eius, de unitate, & oppositione motuum verba facit, & declarat qui vere sit vnus motus, qui non: quis motus cui, uel quieti, vel motui opponitur, ac ita quintum librum absoluit; mox in sexto quia ad vnitatem motus requiritur, vt sit cõtinuus, cuius solum nomen explicauerat in quinto, absoluit declarationem continui, manifestans continuum non constare ex indiuiduis: Insuper, quoniam continuatio motus pẽdet ex mobili, ideo cum consideratione continui accommodate nectitur ea consideratio, quod omne quod moue tur sit continuum, & corpus: Præterea cum motui conueniat infinitum in diuisione, & potestate, quatenus continuus est, ostenditur ei non posse conuenire infinitum absolute ratione terminorum, quia initia, & fines, eius sunt nulla enim mutatio, vel motus est infinitus cum tẽdat ex opposito in oppositum, opposita, namq; terminata sunt, ita simul declarat qualis sit motus, & propter quid talis sit: Postremo remanebat explicanda potissima affectio motus, nempe æternitas, quam proposuerat in calce sexti cuius explicatio exposcebat præcedentium omnium declarationem, ad quam, ut paratiores accederemus, nos disposuit in septimo: perfecit autem illam in octauo, manifestando cum æternitatem, tum modum, & causam æter-

S 2 nitatis,

nitatis, resoluendo eam usq; ad æternos, & primos motores: ex his constat admirabilem fuisse Aristotelem in seruando ordine.

Nam iure merito, primo de principiis, mox de affectionibus disseruit.


Agẽs de affectionibus iure orditur a motu, cæterarumq; considerationem conuenienti ratione inseruit cum cõsiderationibus motus.

Disputans de motu primo absoluit attinentia ad quæstiones simplices, mox ad compositas.


Demum de motu verba faciens, primo illum definit secũdo diuidit, tertio qualis sit ostendit.

Postremo potissimæ affectionis motus causam pate facit, resoluendo æternum motum in æternos motores vt cõgruente fine cum explicationem, tum librum absolueret, ac perficeret.

FINIS LIBRI QVARTI.



ANDREAE




ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBER QVINTVS.



De Prudentia.

Quid ſit Prudentia. Cap. I.



RAECLARO honore dignus, ſummopereq́; humanę conditioni conueniens eſt Prudentiæ habitus; propterea pro eius cognitione, & adeptione ſummoperè quidem omnibus, præſertim tamé illis laborandum eſt, quibus fęlici ſorti contigit, vt in vrbe liberá ſint orti, & ad magiſtratuum dignitates eis parata ſit viá: & iure profecto, nam

vt in sexto de moribus . capit. octauo . docet Philosophus, Prudentia,& ciuilis scientia idem sunt habitus, nemini autem dubium est, Ciuilem scientiam esse habitum regium,quo intrinsecus constituuntur, recteq; formantur, ne dum viri probi, optimiq; familiæ patres, verum insuper Ciues regii,& Principes,qui etiam sine Regno rectius merentur dici Principes, quàm sine Prudentia cum Regno: De Prudentia itaq; verba faciens, ab eius definitione exordiens dico cum Aristotele in 6.Ethic. Prudentiam esse habitum cum ratione vera coniunctum, ad agendum idoneum, in bonis humanis occupatum; quam definitionem cæterorum definitionibus esse præferendam existimo: non enim me latet Prudentiam à Plotino definiri, quod sit Intelligentia inferiora declinans animumq; disponens ad superiora. A' stoicis, quod sit scientia bonorum,malorum, & mediorum: A' Speussippo Platonico, quod sit ius, quæ per se ipsam ad humanam beatitudinem ducit. Vel quod sit, scientia bonorum, vel malorum dispositionem fœlicem præstans, qua quid agendum sit, & quid declinandum iudicamus: Verum huiusmodi definitiones variis obiectionibus euerti possunt, firmior proculdubio ea est,quam ex sententia Aristotelis retuli, per quā iure Prudentia dicitur ratio recta, quoniam omnis in humana actione obliquitas, omnisq; à rectitudine declinatio pariter est declinatio à Prudentia, & lapsus in imprudentiam; Insuper dicitur recta agendi ratio, quoniā non Prudentia est primum principium actionis,hoc enim intel lectui practico conuenit,sed prudentia dicitur esse regula, mensura, rectaq; ratio, per quam intellectus praticus ita prudenter agit,vt artifex per habitum artis recte artificiosa opera construit: Dicitur Prudentia ratio recta, non quidem omnium,sed agibilium: Prudentia enim tanquam in materia propria,non in rebus natura constantibus, non in artificiosis, sed in solis humanis actionibus versatur, humanæ

manæ autem actiones illæ dicuntur, quæ in hominis poteſtate ſunt collocatæ,& ex noſtra conſultatione, ac prælectione proficiſcuntur; hinc ea, quæ ad Prudentiam pertinent neceſſitate carent,& non vno, ſed multis modis fieri poſſunt. Quod ſi nonnunquam Prudentia, vel ad Artis, vel ad Naturæ,vel ad Dei opera ſe conuertit, id facit non quia ea ex primo inſtituto conſideret, ſed vt in attinentibus ad illa,actiones noſtras rectè diſponat. Verſatur itaq; Prudentia in humanis actionibus,& non quidem in parte, ſed in vniuerſo earum genere. Nulla enim eſt humanæ vitæ conditio,nulla ætas,nulla ſors,nullus deniq; gradus; in quo Prudentia locum non habeat, & cum verſetur in omnibus,in eis tamen præſertim fulget,quę magis ſunt ardua,maioris ſunt momenti;& ad gradum vitæ eminentiorem pertinent: Hinc colligimus Prudentiam eſſe quidem vtilem Ciui abſolute magis tamen eſſe frugiferam ei, in magiſtratu conſtituto, in Principe vero neceſſariam. Inſuper aſſero Prudentiam in Ciue eſſe conſpicuam, in magiſtratu fulgere, lucere demum in Principe; in Principe enim,vt errata,ita virtutes maiores ſunt,quàm in cæteris, cùm Principes ſint exempla aliorum,& ſe habeant Principiorum inſtar, ex quorum exigua permutatione maxima ſequitur in cæteris permutatio, veluti languente capite, membra cuncta languere neceſſe eſt.

Conſtat itaq; Prudentiam accurate eſſe conſiderandam.

Patet inſuper quomodo dicatur nõ principium actionum, ſed recta ratio agibilium.

Demum eſt conſpicuum Prudentiam in cunctis humanis actionibus verſari,preſertim tamen in eminentioribus, & magis arduis refulgere.

De Di-

De Diuisione Prudentiæ. Cap. II.



RVDENTIAE duplex dicitur esse genus, vnum naturale, alterum humanum, Prudentia naturali dicuntur prædita, Apes Formicæ, Hirundines, variaq; animalium genera, quæ per naturæ instinctum quasi futura præuideant, fauos conuenienter constituunt, grana colligunt, & condunt: Regiones pro temporum mutatione permutant, quæ Prudentia in eis firmior, & constantior, quàm in homine esse videtur, cũ magis in munerum functione conueniant, & admirabilius, ac firmius operentur: Verum quamuis hæc, Prudentiæ nomine honestetur, non tamen Prudentia censeri debet, sed vmbra eius, nec ei conuenit definitio Prudentiæ, cum iumentis, & feris, neq; etiam actio cõueniat, ut in 2. Phy. asserit Aristoteles neq; eis conuenit consilium, sine quo prudentia esse non potest, sed id, quod faciunt, solum efficiunt per instinctum Naturæ, tanquam per causam potiorem, & dirigẽtem, vt in 2. Phy. 80. affirmat Philosophus, ac insuper auxilio Phantasię, quæ in feris obtinet locum mentis, vt in calce 2. de Anima, manifestatur: Instinctus tamen Naturæ in ea effectione obtinet principatum, vt recte etiam nouit Scotus, cognitio uero ei tanquam instrumentum famulatur, qui Naturæ instinctus nil aliud est, nisi propensio insequens animam illius animalis, vt est forma materiæ, & natura eius, quamuis enim eadem anima sit natura, & cognoscens, vario tamen modo dicitur operari, vt est natura, & vt est cognoscens, sic itaq; in feris solum reperitur imago Prudentiæ: in pueris quoq; proprie sumpta Prudentia locum non habet; sed solum in eis conspicitur Prudentia pro conuenienti dispositione

tione ad eam, ac insuper pro spe, quia indicant se facile euasuros esse prudentes: quæ puerorum Prudentia etiam Naturalis iudicari debet, quia eam non longo rerum vsu acquirunt, sed a Natura recipiunt, & ab ortu secum ducunt: Altera ex parte aliud reperitur Prudentiæ genus, & est habitus intellectus studio, & accurato rerum vsu acquisitus, & hæc est ea Prudentia, de qua verba facturi sumus, cui data definitio conuenit, quæ non in quibusdam, sed absolutè in omnibus humanis bonis uersatur ad humanam actionem pertinentibus, ac insuper versatur non in solis communibus, verum etiam in singulis, ita tamen, vt per communia nos dirigat, ad singula. Colligitur enim Prudentia ex rerum euentibus firmatur vsu, & exercitatione, & ad singulas actiones nos rectè format, ac instituit: Hæc Prudentia re est idem habitus cum ciuili scientia, sola ratione distinctus, ut in sexto Ethicorum, capit. octauo docuit Aristoteles; nam habitus vnus sunt, quatenus vna est forma ex eisdem principiis orta, quæ vtriusque muneribus fungitur, distinguuntur, uero ratione, quia Prudentia dicitur, vt est virtus, ac perfectio eius viri, cui conuenit, & respicit, ac coniectat commoda propria, sibique uni prospicit: Ciuilis verò scientia dicitur, quatenus refertur ad curam, ordinem, & formam Ciuitatis, & ea, quæ Reipublicæ sunt vtilia considerat: Prudentia itaque vt idem est habitus cum ciuili scientia ita diuiditur, uel enim est unius erga se, & communi nomine absolutè Prudentia dicitur, & scientia de moribus, per quam rectè homo ea disponit, quæ ad sui conuenientem institutionem pertinent: Vel respicit alios, quæ adhuc duplex est, una domestica, quæ rectè pertinentia ad familiam format, & dirigit; Altera ciuilis ad vniuersam vrbem, eiusque vtilitatem respiciens: quæ adhuc diuiditur, vel enim est Regia, Princeps, & domina, & nuncupatur Prudentia ferendarum legum,

T vel

vel proximè in singulis actionibus versatur, & hæc communi uoce nuncupatur Ciuilis, quamuis enim absolutè, & uere ea mereatur dici ciuilis, quæ ratio ferendarum legum est, tamen euenit ex multitudinis ignorantia, ut illi soli iudicentur ciuiles, qui in singulis actionibus, & præsertim in iudiciis uersantur, non secus ac illi uulgo censentur Artifices, qui manibus res tractant; cum tamen artis habitus in præcipiente, & dirigente præsertim sit collocatus.: Insuper hæc in singulis actionibus occupata Prudentia adhuc est duplex, uel enim in consultatione, & deliberatione uersatur, & dicitur consultrix, siue deliberatiua, cui omne ciuilium actionum genus subiicitur; Vel est iudiciaria cuius munus est de singulis actionibus iudicare, quomodo sint, vel non sint consentaneæ legibus, ac insuper pœnas, & præmia decernere.:

Colligamus itaq; Prudentiam esse duplicem, vnam Naturalem, alteram humanam: insuper Naturalem esse duplicem, vnam ferarum, alteram puerorum.

Prudentiam uero humanam adhuc esse duplicem, vnam suimet, alteram ad alios conuersam.

Prudentiam ad alios conuersam, vel domesticam, vel Ciuilem esse.

Prudentiam Ciuilem vel esse rationem ferendarum legũ, vel in singulis actionibus uersari.

Demum patet hanc esse duplicem, vel consultricem, vel iudiciariam.

Com-

Comparatio partium Prudentiæ inter se. Cap. III.



VONIAM Prudentia virtus est, vndique refulgens; propterea vt singulæ eius partes splendidæ sint necesse est: verum quia eius partes sunt variæ, & ad uaria vario modo pertinent, distinctaque obeunt munera, ideo earum nonnullæ magis, aliæ minus fulgent: Variæ profectò inter eas possunt fieri comparationes; nā primo si confertur Prudentia Naturalis cum ea, quæ est habitus intellectus; proculdubio Naturalis Prudentia cedit. Prudentia enim, quæ est habitus pertinet ad intellectum illa ad Phantasiam; ea versatur in humanis actionibus, hæc in attinentibus ad nutritionem; & similia: illa dirigit ad animi fœlicitatem, hæc ad incolumitatem corporis; illa conuenit soli homini adulto, ac perfecto, hæc communis est pueris, iumentis, & feris. Præterea si secundo fiat comparatio inter Naturalem Prudentiam puerorum, & eam ferarum, adhuc ea puerorum præferenda est, quoniam nobiliori conuenit, ad potiora dirigit, & in præstantiorem frugem, nata est perduci: Tertio cum humana Prudentia, quæ habitus est intellectus, vel nosmet ipsos, vel alios respiciat, proculdubio magis fulget, in relatione ad alios, quàm ad se ipsum, & ratio est, quoniam ut inquit Aristoteles in Prooemio Ethico.bonum, quo est communius, & pluribus confert, eo est præstantius, & eligibilius. Insuper, quia congruens dispositio erga alios supponit conuenientem suimet dispositionem, quod autem origine est posterius, aliudque includit, est illo eligibilius, ideo Aristoteles in quinto Ethicorum. Iustitiam præ-

ſertim commendat, cæteriſque uirtutibus præfert, quia ad alios refertur, alioſque reſpicit. Quarto ſi Prudentia domeſtica cum ciuili comparetur, Ciuilis principatũ obtinet, primo quia totum curat, & reſpicit, non ſolam partem, vt domeſtica; ſecundo, quia domeſtica a ciuili tanquam a fine, a Principe, & a toto dirigitur; inſtituendæ nanque ſunt familiæ, vt conformentur cum legibus vniuerſæ Vrbis, non autem è contra: Quinto ſi comparetur Prudentia ferendarum legum, cum ea, quæ in ſingulis actionibus verſatur, ea, quæ ferendarum legum ratio eſt; Princeps, & domina cenſeri debet, nã ita cæteris præſtat, ut Principes Ciuibus, & Regia dignitas Magiſtratibus: Hinc iure a Platone in libro de Regno; & ab Ariſtotele in ſexto Ethicorum Architectonica Princeps, & Regia nũcupata eſt; ad hanc, vt ad Ducem reſpiciunt, eique vt dominæ famulantur Prudentia conſultrix, & iudiciaria, quæ iudiciaria Prudentia in loco poſtremo collocata eſt; nec abſolutè Ciuilis nuncupari meretur, vt inquit Plato in libro de Regno, ſed potius pediſſequa eſt, & cuſtos eius; quod etiam in 6.de moribus cap.8.confitetur Ariſtoteles: Ex dictis duo accurata conſideratione digna colligi debent: primum eſt, quod cum Prudentia ferendarum legũ abſolute inter partes Prudentiæ principatum obtineat: non propterea facta comparatione inter libros Moralis Philoſophiæ libri de Repub.cæteris ſunt dignitate præferendi, vt eſt latinorum communis ſententia: Libri.n. Ethicorum, proculdubio principatũ obtinent, & ratio eſt, quia quamuis in libris de Republic. inſtituantur magiſtratus, condanturque leges, tamen recta ratio conſtituendorum magiſtratuum, ferendarumq; legum, quę Princeps eſt, non ex eis libris colligitur, ſed ex libris de moribus, & ratio eſt, quoniam in libris de moribus explicatur fœlicitas, quę eſt poſtremus finis Magiſtratuum, & legum. Inſuper declarãtur virtutes, quæ ſunt initia, & finis proximus earun-

dem,

dè, vt enim inquit Aristoteles in 5. de moribus, leges principium recipiunt à virtute, & ad virtutem tendunt, & quicunq; seruant recte institutas leges, seruant præcepta omnium virtutum: Ex huiusmodi finibus, & principiis desumitur recta ratio ferendarum legum, adeo vt mox libri de legibus sint veluti fructus, rectę rationis instituendi eas, quæ recta ratio in libris de moribus exactissime formatur pariter in eisdem libris de moribus declarantur alia multa ad rem eandem pertinentia.

Colligamus itaq; libros de moribus principatum obtinere, & in eis magna ex parte declarari pertinentia ad Ciuilem Philosophiam: hinc Aristoteles in Procemio eorum librorum, eos absolute appellat scientiam ciuilem, & ait fœlicitatem in eis declaratam pertinere ad disciplinam, quæ Princeps cæterarum sit ad operationem dirigentium; Alterum, quod ex dictis colligitur est, quod Legistæ, qui Iuris Prudentes nuncupantur, & se vere morales Philosopho esse censent, summopere decipiuntur, ipsi enim cum versentur in infima, censent se in parte potiori ciuilis scientiæ versari, & cum sint iuncti cum famula putāt, & gloriantur se cum domina esse coniunctos; nam ipsi minime versantur in parte Prudentiæ, quæ est ratio legum ferendarũ, sed in consultatione, & iudicio, quæ est pedissequa eius, & custos legum: Ipsi in ciuili scientia minime philosophantur, non enim leges in sua principia resoluunt, nec ab eorũ principiorum exacta notitia auspicantur, vt patet ex eorum Institutæ lectione, solum confuse accipiunt, quid sit Iustitia, ac se ad leges addiscendas statim conferunt, non autem distincte virtutes omnes, earum principia, finemq; considerant, ac rectam rationem ferendarum legum, dum intra suos terminos versantur, adeo vt Philosophi contemplatiui longe rectius mereātur dici Iuris prudentes, quàm ipsi; quod, vt clarius pateat considerandum est, quatuor in vniuerso reperiri legum subordinatos ordines: Gradus

legum primus fulget in Diuina Prouidentia: Secundus in Fato. Tertius in Natura; Postremus, qui humanus, & Ciuilis est, in homine: Primum gradum, & initium secundi speculantur Theologi, & Metaphysici: secundum cum tertio Physici; Postremum Ciuiles Philosophi, qui postremus est vmbra quædam, & imitatio cæterorum, & qui cæteros non cognoscunt, postremum exacte cognoscere non valent. Legistæ in hoc postremo versantur, & in parte non prima, sed pedissequa eius, vt patuit, & cum infimi sint, audent tamen cum superioribus de dignitate contendere, nec ob aliud, nisi ob vulgi deceptionem qui vt inquit Aristoteles in 6. Ethi. ciuiles appellant non eos, qui vere ciuiles sint, sed qui tanquam ministri proxime res quasi manibus tractant.

Colligo itaq; primo Prudentiam Ciuilem dignitate præstare Naturali.

Colligo secundo Prudentiam Naturalem puerorum, esse potiorem Naturali brutorum.

Addo tertio Prudentiam humanam potiorem esse, vt respicit alios, quàm vt respicit se ipsum:

Infero quarto Prudentiam Ciuilem præferri domesticæ.


Colligo quinto Prudentiam ferendarum legum inter partes Prudentiæ principatum obtinere.

Patet insuper Prudentiam ferendarum legum ex libris de moribus colligi: & eos libros esse potiorem partem Ciuilis scientiæ.

Demum constat Legistas in postrema Iuris prudentiæ parte versari, nec iure debere dici morales Philosophos.

An

An Prudentia sit vniuersa virtus ad mores pertinens. Cap. IIII.



VONIAM Prudentia ad omnem humanã actionem se extendit, in omni fulget, dirigit, conuenientemq; formam tribuit: iure vniuersa morum virtus esse videtur, adeo vt, qui Prudens sit alia vlla virtute egere nõ videatur, hæc dicitur scientia bonorum, malorumq; omnium ad hominem pertinentium; hac duce omnes animæ perturbationes recte componuntur, singulæq; actiones in beatitudinem diriguntur, eius ope, etiam ea, quæ mala sunt vertuntur in bonum, & demum nullum numen abest, si adsit Prudentia, per hanc præsentia ordinantur, futura præuidentur, præterita in memoriam reuocantur, hac ciuilia; & domestica gubernantur, de qua recte Anthistenes protulit murum tutissimum eam esse, qui neq; decidere, neq; prodi possit: Iure itaq; Apollophanes stoicus, referente Laertio, dixit Prudentiam esse vniuersam virtutem, & Socrates in eam, veluti in culmen, & apicem omnem virtutem redegit. Dixit Plato in Menone, vt ergo summatim dicam omnes animæ impetus, omnesq; declinationes Duce Prudentia ad beatitudinem tendunt; Imprudentia uerò ad contrarium: Prudentia itaq; uirtus est, aut vniuersa, aut pars aliqua uirtutis, & in Alcibiade primo ait, in quo unusquisq; est Prudens, in eodem est bonus, imprudens autem malus: Hæc est circunspecta, uigilans, simplex, matura, perspicax solers, & quid plura, in opere secundum Prudentiam optima hominis uita, summumq; bonum, eius uidetur esse collocatum: non itaq; iniuria uidetur esse dicendum Prudentiam esse uniuersam moralem uirtutem: Ex aduerso id minime uidetur esse uerum, quo-

quoniam uirtus moralis ad ſentiendi appetitum pertinet, Prudentia ad intellectum; Virtus moralis eſt moderatio alicuius generis perturbationis, ut uoluptatis Temperantia, Iræ Manſuetudo, & ita de reliquis; Prudentia autem non perturbationis eſt moderatio, non enim ad intellectum perturbationes pertinent, ſed medium decernit, & ſtatuit, quod eſt conueniens in perturbationibus: Demum moralis uirtus in fine poſita eſt, per quem boni dicimur: Prudentia uero uerſatur in ordinatis ad finem, per Prudentiam enim recte media diſponimus pro finis adeptione: Hinc ne dum Ariſtoteles, uerum etiam Plato, præter Prudentiam enumerat uirtutes alias; Hanc difficultatem diſſoluit Ariſtoteles in 6. de moribus ad Nichomachum inquiens, Quapropter aiunt uirtutes omnes Prudentias eſſe; & Socrates partim recte quærebat, partim peccabat; peccat quidem, quia uirtutes omnes Prudentias eſſe putabat; bene dicebat, quia non eſſe ſine Prudentia eas aiebat: Hæc eſt reſolutio Ariſtotelis, in qua duo conſiderāda ſunt, primo id, in quo damnat Socratem, & conſequenter Platonem, ſecundo id, de qno illum commendat: De primo inquit erraſſe Socratem, quia putabat uirtutes omnes eſſe Prudentias, at aduertendum eſt, quod non ſecus Plato exiſtimauit Prudentiam eſſe uirtutes omnes, ac exiſtimauerit Ariſtoteles, quod patet, quia pręter Prudentiam, etiam cæteras uirtutes dinumerauit, ut Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, & alias: Dixit tamen Prudentiam eſſe modo aliqno uniuerſam uirtutem, quatenus omnium eſt Princeps, omnium eſt dux, omnibus, medium, & formam præſcribit, per omnes extenditur, adeo ut facultate quadam, & eminentia omnes intra ſuos terminos uideatur includere, cunctasq; facultate, & uirtute dicatur continere nō ſecus ac Dux belli peritiſſimus ſibi uniuerſam uictoriæ gloriam uendicat, cum uniuerſo exercitui conuenientem formam tribuerit: Vt uero pertinet ad aliam partem, in qua

Socra-

Socratem commendat, quia virtutes sine Prudentia minime posse consistere affirmabat, iure de hac sententia, commendatione dignus est Socrates, cum in ea omnes Viri sapientiores conuenerint, eademq; experientia, & ratione comprobetur: Percipimus enim Prudentiam virtutem esse, quæ in Puppi sedens gubernaculum tenet hominum, ac omnium nostrarum actionum, consiliorum, operum Dux est, per hanc homo, familia Vrbs, Regnum, ac demum omne mundi Imperium optime valet, seruatur, perficiturq; per imprudentiam uero peruertitur, ac labefactatur. Prudentia idem esse habitus dicitur, cum ciuili sciéntia, per quam conduntur leges nos formantes, ac dirigentes, ad vniuersum virtutum genus: iure itaq; sine Prudentia nulla virtus consistere potest, quod ratione ostenditur, nam virtus in mediocritate est posita, mediocritatis Iudex est Prudentia, virtus est habitus cõuenienter nos in finem disponens, Prudentia viam parat pro assequẽdo fine, vt itaq; formatum suum formatorem, terminus viam, finis deniq; media supponit, ita virtutes morales Prudentiam exposcunt, & sine ea consistere nequeunt.

Constat itaq; Prudentiam esse, & non esse virtutes omnes.

Nam Prudentia est vniuersa moralis virtus, quia Princeps omnium, & Dux est, & omnes facultate continet.

Non est vniuersa virtus, quatenus alia est Prudentiæ, & singularum virtutum, forma propria ratio, conditio, & officium.

Quæ pertineant ad Prudentiam. Cap. V.



VONIAM Prudentia virtutum omnium Princeps, & Regina eſt, ad dignitatem autem regiam varia pertinent, & pro eius conſtitutione, & forma plurima requiruntur, iure merito etiam ad Prudentiam varia redigi multaq; pertinere putandum eſt: Præſertim tamen Prudentis eſt bene conſulere poſſe de his, quæ ſibi, quæ familiæ, quæ Vrbi optima ſunt, de his quæ ad bene, recteq; viuendum vniuerſe conducunt, adeo ut ſua conſilii rectitudine, & ſibi, & aliis ſummopere proſit, ideo conſilium à ſolo Prudente petendum, expetendumq; eſt, & ſine conſilii rectitudine Prudentia nulla conſiſtere valeat, non eſt profecto eadem conſilii rectitudo cum Prudentia, ſed ita ſe habent inter ſe, vt unum ſine alio ſeruari nequeat, præſertim tamen conſilii rectitudo, vnum ex requiſitis ad Prudê tiam iudicari debet: Inſuper ad eiuſdem Prudentiæ conſtitutionem conducit perſpicacitas ea, ſiue acumen ingenii, quod à Græcis σύνεσις appellatur, cui tarditas, & hebetudo opponitur, & nemo eſt iure Prudens, niſi idem ſit perſpicax, & ſolers. Hęc perſpicacitas, ſiue Intelligentia non eſt eadem cum Prudentia, conſtituit tamen Prudentiam: Perſpicacitas enim ad iudicium pertinet, eiuſq; munus eſt recte iudicare; Prudentia vero vim habet præcipiendi, & ad actionem dirigit: Præterea ad Prudentiam recte formandam neceſſaria eſt rectitudo ſententiæ, quæ à Græcis γνώμη dicitur; & ex conſultatione recta, ac ex perſpicacitate ingenii conſurgit, hæc nil aliud eſt, niſi iudicium rectum, adeo vt bona conſultatio dirigat, perſpicacitas inueniat, ſententia recte decernat: Ex his ortum ducũt circunſpectio,

ſpectio, Prouidentia, cautio, Vigilantia, ęquitas, quæ in Viro prudente refulgent, eumq; reddunt ſplendidiſſimum. Inſuper ut in conſtituenda ſapientia requiritur νοῦς, ſiue Intelligentia quæ eſt cognitio communium, ac primorum principiorum eius, ità in conſtituenda Prudentia requiritur νοῦς. ſiue Intelligentia, exactaq; cognitio, alterius extremi, nempe ſingularium, ex quorum notitia, ſingularumq; circunſtantiarum inſpectione, tãquam ex principio ortum ducit vniuerſa viri Prudentis in actione rectitudo, quamuis enim Prudentia per ſe, & proprie ſolum vniuerſalium eſſe dicatur; attamen, quia ea vniuerſalia huius ſunt conditionis, vt nos in ſingulorum actionibus dirigant, & pro actione ſit neceſſarium ea nectere cum ſingularibus, ex quorum ſingularium conditione, & natura deſumitur conditio directionis eorum, ideo cognitio horũ extremorum (ſingularium ſcilicet) ita dicitur νοῦς, ſiue Intelligentia, in attinentibus ad Prudentiam, ut ex aduerſo in attinentibus ad ſapientiam cognitio primarum enunciationũ νοῦς, ſiue Intelligentia nuncupatur; Ex quibus omnibus conſtat, quàm ſplendida ſit Prudentiæ forma, & quàm difficile ſit virum eſſe Prudentem, cum ad eius conſtitutionem uaria, & præclara neceſſario concurrant.

Patet itaq; Prudentiam non eſſe rectam conſultationem, perſpicacitatem, ſententiam rectam, Intelligentiam, at non poſſe eſſe ſine his.

Inſuper conſtat, quomodo Prudentia, & ſolum vniuerſalium, ac inſuper etiam ſingularium eſſe dicatur.

Demum patet ratio, cur in attinentibus ad Prudentiam cognitio eorum ſingularium, in quibus verſantur actiones debeat nuncupari Intelligentia, & ita ab Ariſtotele in 6. Ethi. nuncupetur.

Ex quibus principijs oriatur Prudentia. Cap. VI.



NIL præclarum in homine reperitur, nil illustre in eo refulget, quod sine labore, & conspiratione multarum causarum producatur; cum itaq; Prudentia virtutum sit præstantissima, hominisq; maxime propria, putandum iure merito est multarum causarum concursu, & fauore in nobis gigni, quod experientia, & inductione conspicuum redditur; si enim eos accurate cõsideramus, qui Prudentiæ decore sunt ornati, ac insuper si perpendimus Prudentiæ conditiones, inueniemus Natura, studio & longo rerum vsu in nobis fieri: per Naturam semina, principia, & facilitatem habemus, per quæ apti sumus ad assequẽdam Prudentiam, quæ semina tantæ sunt virtutis, ut per ea solum, frequenter pueri nuncupentur, ac iudicentur Prudentes, & nedum pueri; verum etiam animalia rationis expertia ueluti Formicæ, & Apes: Hęc tamen solam habent prudentiæ imaginem, nec formam eius assequi nata sunt, quã assequi valent pueri; Et cum animantium temperamenta sint varia, putandum est temperamentum illud prudentiæ esse accommodatissimum, quod ad atram bilem vergit, cõuenientemq; portionem splendidi sanguinis habet ad mixtam, adeo vt à feruore caloris non turbetur, per splendorẽ sanguinis fulgeat, a bile atra habeat constantiam, & congruentem soliditatem, huiusmodi autem tempera mẽtum ad prudentiam esse aptissimum inferis, & iumentis experientia docet; & dum inter se comparãtur, varia hominum temperamenta manifeste elucescit, immo si ad hominem conuertimur, inueniemus non prius illum reddi prudentẽ quam iuuenilis in eo calor temperetur, & ad senilem atrã bilem

bilem inclinet: Insuper putandum est. Prudentiam studio, & disciplina acquiri; plurima enim prudentiæ præcepta ab aliis addiscere, & scripta cum vtilitate perlegere valemus, & nedum hac ratione sub doctrina continetur Prudentia, verum insuper alia præsertim, quatenus Prudentia firma, & constans omnibusq; suis numeris absoluta à sapientia pendet,ac ex ea in homine consurgit; adeo vt nemo absolute omniq; ex parte sit Prudens, nisi ipse etiam fuerit sapiens. Sapientia autem proculdubio doctrina,& disciplina acquiritur, hanc veritatem cumulatissime nobis in Menone patefecit Plato,vbi quamuis primo intuitu dubius valde esse videatur, attamen accurate eum considerantibus manifestat optimam Prudentiam cum scientia esse iunctam,& eatenus doceri posse, quatenus à contemplatione pendet. Insuper patefacit Prudentiam cum contemplatione iunctam esse, similem statuis Dedali ligatis,hoc est firmis,& permanentibus. Prudentiam vero sine scientia,& cõtemplatione,esse similem statuis Dedali solutis fugacibus, instabiliq; opinioni simillimis. Eandem quoq; veritatem cum Alexandro patefecit Auerroes,dum manifestauit in Procemio Phy.ex philosophia contemplatiua etiam ciuilem fœlicitatem, ciuilesq; virtutes pendere; demum in sua Republica id ipsum protulit Aristoteles dum affirmauit cognitionem veritatis,ne dum ad contemplationem, verum etiam ad actionem dirigere: Iure ex sapientia ortum ducit Prudentia cum nos ex diuinorum contemplatione moneamur recte disponere humana,humanorum enim congruens dispositio est imitatio dispositionis diuinorum. Demum pro absolutione Prudentiæ egemus longo rerum vsu, & experientia; Nemo enim Prudens euadere potest, nisi etiam in humanis actionibus, in variisq; fortunæ euentibus sit versatus. Ideo recte Aristoteles in 6.de motibus. cap.9. dixit Iuuenes,& Geometras,& mathematicos, & talibus disciplinis

eruditos

eruditos fieri poſſe, Prudentes vero fieri non poſſe; cauſa hæc eſt, quod etiam in rebus ſingularibus Prudentia verti tur, quarum cognitio vſu comparatur; Adoleſcens autem vſum rerum non habet, id ipſum in cap. 8. declarat, exemplo medici inquiens; ſi quis ſciat carnes leues eſſe ad concoquendum faciles, & ſalubres, leues autẽ, quæ ſint, ignoret, bonam valetudinem non efficiet, ſed is potius efficiet, qui auium carnes ſcit eſſe leues, & ſalubres; non itaq; ſat eſt hominem per Naturam eſſe aptum, accomodatumq́, ad Prudentiam per ſapientiã cognoſcere communia quædam, & vniuerſalia; verum inſuper requiritur, vt longo vſu in ſingularibus verſati ſimus: Ideo Plato in Theeteto. dixit Philoſophum in rebus agendis ſe deridendum, pa tefacere eiſq́; minime eſſe accommodatum, quod exemplo Thaletis declarauit, qui dum Cœlum inſpiceret inten tus ſyderibus in foueam cecidit: Propterea Thracenſis quædam eius ancilla facete eum carpſit, quod quæ in Cœlo ſunt præuidere contenderet, proxima uero, & ante pedes poſita non uideret. Iure itaq; ueneranda ſenectus, & dum iuuenes in actionibus parum uerſati; nimia quadam de ſemetipſis præſumptione, & arrogantia ſenioribus pręualent, eiſq́; non obtemperant, plurima profecto incommoda, & detrimenta cum in domibus, tum in Republica ſequuntur, tunc enim ſenſus rationi, Temeritas Prudentiæ, Fortuna experientiæ, ut Dux præponitur. Colligamus itaq; Prudentiam à Natura recipere ſemina, & principia, à doctrina cultum, & accretionem, ab experientia, & longo rerum uſu poſtremam abſolutionem. Prudentiæ conſeruatrix Temperantia eſt, quod Græci ipſo nomine manifeſtarunt, dum Temperantiam σωφροσύνην. quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν. appellarunt, quod cum Ariſtoteles in 6. de moribus. Cap. 5. tum Plato ante Ariſtotelem declararunt, nec equidem iniuria, nam ſenſuum uoluptas uehementiſſima eſt, propterea ut eius uehementia, maxime rationem tur-

bare

bare,noſq; rapere nata eſt, ita eius moderatio ſummopere nobis eſt ſalutaris, noſtramq; Prudentiam incolumen ab omni perturbatione conſeruare nata eſt.

Colligamus itaq; Prudentiam,natura,ſtudio,& aſſuetudine acquiri: Eandemq; Temperantia præſertim conſeruari.

Dubia nonnulla ad Prudentiam pertinentia. *Cap. VII.*



ARIAE in attinentibus ad Prudentiam ſeſe nobis offerunt difficultates: quarum una eſt, an ualeat ſecerni à uirtutibus moralibus, adeo ut in nobis Prudentia ſine illis inueniri poſſit;nam eam poſſe ſecerni, ex eo quis credere poſſet, quoniam morales uirtutes ſunt moderationes perturbationum,& pertinent ad appetitum ſenſitiuum: Prudentia uero ſeorſum, à perturbatione poſita eſt,& in intellectu locum habet, propterea cõtingere poſſe uidetur,ut aliquis optima conſultatione,ſententia, perſpicacitateq; ſit præditus, ac inſuper aliis ex quibus Prudentia conſurgit, in quo tamen moderatio perturbationũ minime reperiatur,hinc nonnullos conſueuimus nuncupare Prudentes quidem, ſed uitioſos: Huic difficultati recte,& Plato,& Ariſtoteles ſatisfaciunt, conueniunt enim in hoc,nemini poſſe Prudentiam conuenire, cui etiam uirtutes morales non conueniant,& iure quidem, nam uirtutis moralis officium,eſt recte nos erga finem, erga iuſtum, & honeſtum,eiuſq; appetitionem diſponere: Prudentiæ uero munus eſt, modum in rebus agendis inuenire, medium ſeruandum ſtatuere, in principiis, & conferentibus ad finis adeptionem nos conuenienter dirigere, quæ munera ſine morali uirtute,obire nõ poteſt; nam uitium peruertit

Prudentia tanquam in principio,& cauſa ea vniuerſa recti tudo reperitur,quæ conuenit virtuti morali,ideo Prudentia dicitur recta ratio agibilium , humanæ vitæ magiſtra, Auriga noſtrarum appetitionum : Ex aduerſo moralis virtus preſertur Prudentiæ,quia actu,& forma includit bonum,quod in fine eſt collocatum , eſt enim moralis virtus habitus in mediocritare collocatus , à quo habitu proximius pendent probæ actiones,humanaq; fœlicitas , quàm à Prndentia ; Verum quia continere virtute, & facultate, & eſſe principium prius,eſt abſolutè præſtantius,quàm cõtinere forma,& actu, ideo Prudentia abſolutè præſtantior cenſeri debet morali virtute : Hinc recte virtutum Regina , earumq; formatrix , & moderatrix celebratur : Iure etiam legum eſt conditrix,quę ad vniuerſam virtutem nos dirigunt ; Dum autem pro parte virtutis dicebatur,quod ea in fine verſatur : Reſpondeo virtutem nos recte diſponere erga finem, ea tamen recta diſpoſitio à Prudentia, vt à cauſa pendet ; Prudentis enim munus eſt recte conſulere,& iudicare de his,quæ bona ſunt, & medium ſeruãdum conſtituere : Et dum addebatur,quod Prudentia ſine morali virtute eſt perniciosiſſima : Reſpondeo id euenit,quia tunc non eſt Prudentia ; de ratione enim Prudentiæ rectitudo eſt,quæ rectitudo pernicioſa eſſe non poteſt : At dubitabit inſuper aliquis , ſi eueniat , quod homo mortalia omnia negligat , & paruipendat Diuina ſola veneretur , & colat , num ille ob hanc actionem debeat cenſeri Prudens? nam minime Prudens eſſe videtur,cum fortunæ bona deſpiciat, quæ humanarũ actionum,humanæq; fœlicitatis ſunt inſtrumenta; Pariter eſt dubitatio, num ille, qui negligit ſua omnia commoda, ſuaſq; facultates, & totum ſe dicat curæ Reipublicæ , debeat Prudentiæ , vel potius imprudentiæ nomine deſignari : Ad primam difficultatem,ſi cum Plotino loquimur, ille ſolus cenſendus eſt Prudens, qui neglectis humanis ad diuina ſe conuertit , ideo

Plotinus Enneade prima, libro 6.cap.6.definiens Prudentiam,dicebat, quod est intelligentia inferiora declinans, animumq; erigens ad superna, qui partim recte, partim male sentiebat; recte loquebatur, quia ea præstantissima Prudentia est: perperam vero, quia ea non est vniuersa Prudentia; Propterea dicendum est cum Prudentia respiciat morales virtutes,& earum sit Dux, formatrix, & gubernatrix, vt in moralibus virtutibus consideratur, & virtus, & gradus heroicus uirtutis: ita de Prudentia sese habere censendum est;nam Prudentia duplex est,una ciuilis,& humana,altera supraciuilem,& diuina potius,quam humana,ut Prudentia ciuilis nos recte disponit, & dirigit in ciuilibus uirtutibus, ita hæc hæroica Prudentia nos eleuat supra homines, & medios nos constituit inter ciuiles homines,& Deos; Ex quo patet solutio primæ difficultatis: Ad alteram,quæ erat, an homo negligens propria bona ob curam communis,& publici boni,mereatur dici Prudens: Respondeo hac de re nos posse dupliciter loqui, primo ex uulgi opinione, secundo ex sententia Sapientũ: si ad multitudinem respicimus, minimè dicendus est Prudens,qui sua negligit;nam Prudentis esse dicitur recte consulere de propriis bonis,ideo ea,quæ in propriis bonis uersatur,absolutè Prudentia nuncupatur, ut etiam in 6. Ethi. dixit Aristoteles,hanc sententiam sequutus est Euripides, qui dixit,

Prudentem enimquis me putet mortalium
Cui suppetebat absq; ullo negotio.
In totius turba numerato exercitus.
Sortem parem obtinere sapientissimo?
Præstantiores nanq; & eos qui pluribus,
Se rebus implicant,male odit Iupiter.

Hæc itaq; est uulgarium sententia,quæ tamen falsa est;primo,quia Prudentis est,bonum,maius eligere, bonumautem quo est communius,eo etiam est prestantius,& unusquisq;

quisq; tenetur bonum publicum priuato præferre. Insuper absq; notitia attinentium ad Rempublicam non ualemus recte iudicare bonum proprium,& domesticum, non enim de parte absq; notitia totius recte iudicare ualemus: Expetendum itaq; est,bonum commune non neglecto proprio,& si alterum negligere cogimur, potius priuatum,quàm commune bonum negligendum est.

Constat itaq; nec moralem uirtutem sine Prudentia, nec Prudentiam sine illa consistere posse.

Insuper conspicuum est,quod quamuis moralis uirtus aliqua ratione principatum obtineat, absolutè tamen Prudentia earum Regina censenda est.

Præterea constat,eam esse Prudentiam heroicam, qua neglectis humanis sola diuina magnifacimus.

Demum constat etiam, quod reuera magis est Prudens, qui publica bona, quàm qui priuata recte gubernat, quamuis ex uulgi sententia secus se habeat.

Num Prudentia, vel sapientia potius principatum obtineat. Cap. VIII.



ANTIQVA, & à uiris sapientibus satis agitata est quæstio,num sapientia præstet Prudentiæ,vel è contra Prudentia potius sapiētiæ sit præferenda nonnulli partes vnius, alii alterius defendūt,& innumera pro omni parte argumenta formantur: Quod Prudentia principatum obtineat, ex eo colligi posse videtur, quia Prudentia sapientiæ imperat,& in Vrbe,quibus scientiis,quomodo, & vsq; ad quem terminum danda sit opera soli Viri Prudentes decernunt: Insuper Prudentia respicit bonum, sapientia verum, bono autem nil melius esse potest, quare neq; Prudentia aliquid præstantius potest excogitari:

Quod postremo confirmatur, quia Prudentia respicit, ne dum bonum proprium verum præsertim commune,& publicum, contemplatio vero solum bonum proprium, propriamq; perfectionem perquirit, iure itaq; videtur Prudentia in hominibus principatum obtinere, eaq; sola Reges formare,condere leges,& humanum genus regere, ac moderari : Ex aduerso pro parte sapientiæ potiora media circunferuntur; nam Prudentia versatur in humanis, sapientia sola diuina perquirit , Prudentia versatur in re mortali, sapientia in re æterna, Prudentia nos detinet intra homines, sapientia eleuat ad Deos: Sapientia tribuit principia Prudentiæ,eiusq; est formatrix,& domina: Prudentia lumen,& certitudinem à sapientia recipit: Prudentia est affectio hominum,sapientia Deorum; Prudentia parit fœlicitatem ciuilem, sapientia diuinam: Prudentia subiicitur euentibus fortunæ, bonisq; eius; sapientia uehitur supra fortunam,& libera est: Prudentia ex humana indigentia oritur,sapientia ex mentis nostrę diuinitate, ideo ex Iouis capite orta fertur. Varia profecto sunt,&,ea quidem maximi ponderis, quæ pro omni parte afferuntur, & hinc oritur disputatio de dignitate,& præstantia Viri Ciuilis, & contemplatiui; Verum vt recte dixit Ficinus in primum de Republ.Platonis,quanto oculus præstat manibus caput pedibus,ratio sensibus,anima corpori, tanto vita cõtemplatiua actiuæ præfertur, & consequenter sapientia Prudentiæ:Vt tamen resolutio difficultatis clarior pateat, & Veritas splendidior elucescat, dubiaq; facilius dissoluãtur,considerandum est, in mortalibus ut esse præfertur origine ipsi bene esse, dignitate vero postponitur, ita conferentia ad esse dicuntur magis necessaria,minus tamen nobilia:Prudentia magis conducit ad esse,hoc est ad sui,aliorumq; conseruationem; sapientia solum respicit ad bene esse: propterea Prudentia magis est necessaria, sapientia est præstãtior. Insuper quia homo est ciuile animal natum

uiuere

viuere in hominum cætu, ideo prudentia est hominis magis propria: Sapientia vero est ei magis communis cum Diis, eiq; conuenit, vt supra humanam conditionem eleuatur: Præterea prudentia versatur in humanis, quæ nobis magis sunt familiaria, magisq; nota, & explorata, sapientia versatur in diuinis, & sublimibus, de quibus solam obscuram, & valde tenuem cognitionem assequi valemus: propterea vt prudentia cedit sapientiæ ratione præstantię, & dignitatis rei, in qua versatur, ita è contra sapientia cedit prudentiæ ratione certitudinis rerum ex parte nostri, & cumulatioris earum cognitionis: Vterq; habitus mirum in modum fulget, sapientia tamen perinde ac sol se habet, aliunde lumen non recipiens; Prudentia est similior Lunæ quæ nobis est proximior, & ea solum ex parte fulget, quia in solem conuersa est, absq; enim sapientiæ lumine tenebricosa, & obscura penitus est. Ex his ad dubia patet solutio; dum enim dicebatur prudentiam imperare sapientiæ hoc minime verum est, nam, vt docet Aristoteles in 6. de moribus: prudentia non imperat sapientiæ, sed pro sapientia, quia curat pertinentia ad acquirendam, & conseruandam sapientiam, vt medicus non imperat sanitati, sed pro sanitate, & serui non imperant domino, sed pro domino, imperare autem pro aliquo, est ei inseruire, in cuius gratiam imperatur, & si quando eueniat, quod uiri ciuiles imperent sapientibus, id est ex euentu ratione conditionis hominum, non autem id euenit per se, ratione sapientiæ, adeo ut prudentia ex euentu imperet sapientię, cum è contra sapientia per se prudentiæ imperet, eamq; dirigat, & illustret: Dum additur, quod sapientia respicit uerum, prudentia bonum, uel saltem boni adeptionem, dico etiam uerum esse bonum, immo uerum est bonum contemplationi conueniens, quod illi bono præfertur, quod in actione positum est. Insuper id omne bonum, quod pertinet ad prudentiam, modo quodam eminentiore, continetur in

sapientia,

ſapientia; tanquam in Duce,& in cauſa: Sapientia enim dirigit,& illuſtrat prudentiam, ideo prudentia cenſeri debet non quidem finis,ſed fructus aliquis ſapientiç. Ex quo etiam conſtat ſolutio ad rationem poſtremam; nam dicebatur, Prudentia reſpicit cõmune bonum, format Reges, & mundũ regit; Reſpondeo hæc omnia conuenire ſapientiæ,vt cauſæ,& modo eminentiori: Ideo Deus ſua ſapientia creauit mundum,eademq́; illum conſeruat; & humana prudentia ſine ſapientia fugax eſt,& inconſtans, ut dicebat Plato in Menone. Et tunc ſolum ex ſententia Platonis Vrbes erunt fœlices,dum philoſophi regnabunt; & ratio potiſſima eſt, quia in eis una cum ſapientia iuncta eſt prudentia: Præterea quamuis etiam prudentia reſpiciat commune bonum,contemplatio proprium, tamen id proprium non eſt eiuſdem generis cum illo communi, ſed eminentioris gradus, & cõditionis eleuat enim nos ſuper hominis conditionem propterea ea ratio inanis cenſeri debet.

Conſtat itaq; Prudentiam, neceſſitate,& proprietate,quadam præſtare ſapientiæ; abſolutè tamen ei cedere, & famulari.

Conſtat inſuper uniuerſæ prudentiæ bonum in ſapientia, ut in eminenti cauſa contineri.

Fructus, & Vtilitates Prudentiæ. *Cap. IX.*



VONIAM Prudentia Lunæ dicta eſt ſimilis, quæ ex Cęli luminibus nobis maximè eſt proxima, ideo vt ex luna rerũ mortaliũ generationes pendent,innumeriq́; fructus apud nos perficiuntur,ita ex Prudentia tanquã ex vitæ noſtræ Luna plurimi fructus,præſtantiſſimęq́; vtilitates conſurgunt: Cũ.n.

prudentia

Prudẽtia in ſuimet,in familiæ, in Reipublicæ adminiſtratione Regina ſedeat,ſua fęcũditate,quã à ſapiẽtia duxit,ui tam inſtituit,leges condit, Magiſtratus diſponit,vniuerſas humanas actiones moderatur,& dirigit, Per hanc, ſi quid mali eueniat,ſi quid præter ordinem contingat, ſtatim cor rigitur,ſtatim dirigitur in bonum, ſi quid eueniat boni, id ipſum congruente vſu ex bono melius, ex paruo redditur maius,adeo vt Viro Prudenti nil mali contingere poſſe vi deatur, & ei ſoli humana bona uere conueniant; cum eorum illi ſoli conueniat rectus vſus; Propterea recte Plato in Menone dixit,omnes animæ impetus, atq; omnes decli nationes,ducente Prudentia ad beatitudinem tendunt;Im prudentia verò ad contrarium: Præterea cum homo in ma nibus fortunę ſit collocatus,ac frequenter,multisq́; modis ab ea turbetur, crucietur, illudatur; nullum nobis remedium magis ſalutare Dii præbuerunt ipſa Prudentia; per Prudentiam enim nedum furentem contra nos fortunam lenimus,aduerſam repellimus,inuadentem ſuperamus;verum inſuper eam nobis ſubiicimus,obtemperantem reddi mus, omni virtute eam denudamus; Pedibus ceruicẽ eius conculcamus,adeo ut iure dictum ſit.

Nullum Numen abeſt ſi ſit prudentia,ſed te,
Nos facimus fortuna Deam Cœloq́; locamus.

Ac inſuper ne dum fortunam volubilem, & inconſtantem Duce prudentia ſuperamus, verum etiam fatum, rem firmam,& conſtantem aliqua in parte corrigere, & moderari valemus,multa enim agunt Viri prudentes, quæ fato ad uerſantur,ueluti dum propenſiones naturales ſuperant,& ſecus agunt,ac per naturã ſint procliues, hinc iure dicitur.

Fato prudentia maior.


Præterea prudentiæ auxilio internum bellum homini coę uũ componimus,nobiſmet reddimur amici, & ſenſum à ratione alienum una cum ratione fœlici nexu ligamus.Hinc oritur interna ſerenitas,humana tranquillitas, & pax omni pace

ni pace saluberior, quæ ut intrinsecus in singulis hominibus, ita in familia, in Republica, in Regnis cum splendidiore vtilitate refulgent: Propterea recte Anthisttenes dixit, murum tutissimum eam esse, neq; enim decidere, neq; prodi, neq; superari posse; nam prudens fallere non vult, falli non potest non mutatur à rebus, sed rerum euentibus se accōmodat: Demum quia nil mortalium animos magis turbat, nil magis angit, & excrucciat, quàm metus mortis, propterea languenti, & iam iam morienti homini prudentia adstat, doloribus medetur, langores sanat, cruciatus lenit, hominem à formidine liberat, cum ostendat ea omnia negligenda, & paruipendenda esse, quæ morti subiiciuntur: Iure itaq; Seneca dixit: Non video quid habeat in terris Iupiterp ulchrius, si conuertere animum velit, quàm vt spectet Catonem, iam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum, solius prudentiæ, & fortitudinis munere.

Constat itaq; præclaros esse Prudentiæ fructus, ea enim humanæ vitæ magistra est, leges condit, omnes hominis conditiones recte instituit, bonos euentus amplificat, aduersos lenit, & corrigit: Fortunam domat, Fato imperat, pugnantes animæ nostræ partes conciliat, metumq; deniq; mortis longe repellit.

FINIS LIBRI QVINTI.

ANDREAE




ANDREAE DVODI FRANCISCI FILII PATRITII VENETI

DE HABITIBVS INTELLECTVS LIBER SEXTVS.



De Arte.

De significatione nominis Artis, eiusq; definitione. Cap. I.



ORITVR homo animalium omnium maxime egenus, ac impotentissimus, propterea egemus arte, vt per eam variis necessitatibus occurramus, uariisq; imbecillitatibus medeamur; Nomen Artis multa significat, vsurpatur nonnunquam id nomen in eminentia quadam, veluti dum dicimus, Deum mira arte creasse Mundum, ideo Plato in 10. de Legibus dixit cõtra Demo-

critum, Empedoclem, & alios quosdam priscos philosophos, Mundum non Natura, vel Casu, sed Diuina Arte fuisse conditum. Insuper extenditur quandoq; nomen Artis ad sapientiam,& scientiam,ideo quicunq; eis dant operam, dicuntur incumbere bonis artibus: Et metaphysica Ars Artium,scientiaq; scientiarum nuncupatur: Ex aduerso cum declinatione, & depressione profertur nomen Artis, veluti dum dicitur de eo Naturæ instinctu, ac dispositione,quæ solum vmbra,imago, & simulachrum est Artis, per quam Formicæ dicuntur colligere grana, Aranei conficere telas, hirundines nidum construere, & ita de plurimis, propterea Natura quoq; artificiosissima nuncupatur: Verum hoc in loco nomine Artis,neq; eminentiam, neq; depressionem eius intelligi volumus; sed habitum humani intellectus à reliquis contradistinctum, qui inter eminentem Artem, & depressam medium sibi locum vendicat: Hæc Ars definitur ab Aristotele in 6. de moribus, quod sit recta ratio effectibilium, conuenit Ars cum Prudentia,quia ambo ad operam dirigunt,ambo sunt rectę rationes, Prudentia tamen agibilium, Ars effectibilium,recta ratio est; dicitur Ars recta ratio, quoniam ea non est principium primum, quod operatur, & opera artificiosa construit, sed est recta ratio efficientis, & regula eius, quæ intrinsecus Artificem format, eumq; ducit, ac dirigit in construendis operibus. Hinc Ars dicitur modo quodam illud effectibile, quod per eam constituendum est, veluti Ars medica ab Aristotele in 7. metaphy. dicitur sanitas: Ars ædificandi dicitur ædificium,& sic de singulis: & ratio est primo, quia opera in efficiente dicuntur virtute aliqua contineri, continere aliquid facultate, & virtute est illud ipsum eminentiori quodam modo esse, & includere; Insuper alia potior ratio est,quia Artifex, vt opus conficiat, idq; non temerè,& fortuito,sed recta ratione perficiat,debet in se formam,imaginem, ac Ideam rei conficiendæ includere

cludere, quam Ideam nititur deinde in externa materia pro facultate exprimere, ea autem Idea cum sit forma rei conficiendæ, eodem nomine cum illa significatur; veluti intellectus apprehendens intelligibilia dicitur ea fieri ex sententia Aristotelis in 3. de Anima. contex. 8. & 37. Iure itaq; Ars dicitur non principium absolute primum efficiēdi, sed recta efficientis ratio: Principium autem primum natura, vel intellectus est: Vt in Arte medica conspicuum est, nam ex parte medici intellectus est primum principiū, vt dicitur in 6. metaphy. quoniam medicus per animam, siue per intellectum dicitur primo operari; ab Arte solam recipit rectitudinem operandi, quæ rectitudo principium primum operandi necessario supponit; Ex parte laborantis principium primum est Natura, quoniam pro recuperanda sanitate, repellendaq; ægritudine Ars vt instrumentum concurrit agentia cum patientibus nectens; Natura autem est, quæ primo opus efficere dicitur: Ideo recte Galenus Artem medicam esse dixit instrumentum naturæ: Vt tamen instituto nostro inseruit, Ars in artifice non principium absolute primum nuncupatur; Quod si etiam Artem principium primum indicare volumus, non absolute, sed cum reduplicatione loqueudum est; Ars enim est principium primum operis artificiosi, non absolute, sed quatenus artificiosum est, vt enim sit artificiosum per se primo ab Arte habet, vt constat ex 2. Phy. contex. 38.

Constat itaq; Artis nomen nonnunquam in eminentia accipi, & eleuari vsq; ad Deum.

Insuper patet etiam sapientiam, & scientiam dici Artes.

Ex aduerso declaratū est, Artem cum depressione iumentis, & feris conuenire.

Propriè tamen dicitur Ars pro habitu intellectus contradistincto à cæteris habitibus.

Hic habitus est modo aliquo res conficienda.

Insuper est, & non est primum principium efficiendi.

De Actione, & Effectione. Cap. II.



VONIAM dictum est Prudentiā in actione, Artem in effectione versari, propterea quæ inter actionem, & effectionem sit differentia considerandum occurrit, conueniunt profecto ambæ, vt inquit Aristoteles in 6. de moribus, cap. 4. quatenus locum habent non in rebus necessariis, sed in his, quæ secus euenire possunt; & ideo cum noster intellectus diuidatur in partem supernam contemplationi dicatam, sola necessaria respicientem, & in partem infernam dirigentem ad operam, quæ opinatrix, consultrix, & ratiocinatrix nuncupatur, cum actio, tum effectio ad hanc partem pertinent, & propterea in vtrisq; inconstantia, incertitudo, varietas locum habent, magis tamen in actione, & in attinentibus ad Prudentiam, quàm in effectione, inde euenit, quòd consilium actionis, & Prudētiæ maxime proprium est, conueniunt itaq; in parte actio, & effectio, differunt uero, & differentia vario modo à variis assignatur. Plato in Carmide ex sententia Hesiodi hanc ponit differentiam, quia opera, & actiones solæ illæ dicuntur, quæ vtiles, honestæ & præclaræ sunt, effectiones autem, & turpes, & sordidæ esse possunt; at hæc minime propria differentia esse videtur, quoniam opposita sunt nata fieri in eodem, propterea Prudentia, & Imprudentia, virtus, & vitium, in eodem nata sunt fieri; Sed Prudentia, & virtus ad actionem pertinent, quare etiā imprudentia, & vitium ad eandem pertinebunt, quare nedum honestæ, & probæ, verum etiam improbæ, & vitiosæ dantur actiones; Aristoteles in 6. Ethi. cap. 5. actionem secreuit ab effectione, quia effectionis aliud quàm effectio

finis

finis est; actionis vero nequaquam; vel vt in aliis codicibus legitur non semper: Eandem differentiam confirmauit in 1. de Republ. cap. 3. & in calce primi libri magnorum moralium: propterea in 1. de moribus. ad Nicomachum 1. cap. 1. dixit, ac videntur inter se fines discrepare, alii enim sunt actiones, alii præter eas opera quædam: Hanc differentiam approbauit Alexander in 6. metaphy. in expositione 2. contex. & 11. metaphy. commento 25. sic itaq; Prudētia in agibilibus versatur, quorū finis est perfecta actio; Ars vero in effectibilibus, quorum finis aliud ab effectione est; Verum oritur dubitatio, quia si Ars est recta ratio effectibilium, neq; peritia saltādi, & pulsandi lyram, neq; aliæ multæ ludicræ, quæ in imitatione versantur Artes erunt; quoniam ex eis non remanet opus aliquod peractū; Neq; satisfacere videtur solutio Eustratii in 6. Ethic. qui inquit, Artium quasdam esse effectrices, alias agentes, adeo vt Ars pulsandi Lyram, & saltandi Artes actiuæ esse dicantur, cum opus non remaneat, at hoc manifeste aduersatur Aristoteli, qui vniuerse Artem definiens, inquit, esse rectam rationem effectibilium; Insuper addit nullam effectionem esse actionem, neq; è contra: Propterea dicendum potius censeo actionem ab effectione, nō eo solo secerni, quia post actionem non remaneat opus peractum, remaneat autem post effectionem, immo hæc videtur esse differentia valde externa, & leuis: At dicendum puto actionem ab effectione tribus modis distingui, primo ex parte finis, secundo ex parte principii, tertio ex parte modi operandi; ex parte finis, quia in actione semper finis est ipsamet actio, & id bonum, quod in ea includitur, in effectione autem nunquam finis, præcipuus est, ipsa effectio, sed vel est opus, quod vt plurimum remanet elaboratum, vel est vtile aliquid ex effectione consurgens, vt Artis saltādi finis est sanitas, & congruens corporis dispositio, ideo inter Gymnasticas artes numeratur, quarum finis non ea

effectio,

effectio, sed sanitas est ex ea consurgens: Ita de Musica loquendo finis non est recte canere, vel pulsare Lyram, sed vtilitas inde consurgens, vt puta animorum à grauioribus studiis ingenua relaxatio, perturbationum animi compositio, vel earum excitatio, & similia, vt docuit Philosophus in 8. de Republ. cap. 7. & hoc idem etiam significare voluit in 6. Ethi. si verba recte perpenduntur, quam rem etiam nouit Eustratius, sed minus recte deinde dixit dari artes actiuas: Verum est dubitatio, quia Aristoteles in calce primi magnorum moralium, pulsationem Lyræ actionem nuncupauit: & Alexander in 6. metaphy. saltus nũcupauit actiones: Dicendum quòd hæ dicuntur actiones consideratione quadã externa & populari: insuper quia valde cũ actione conueniunt, quatenus ex effectione non remanet exter num aliquod opus confectum: prima itaq; differentia ex fine sumitur, secunda sumitur ex principio: nam initium actionis est proheresis, siue præelectio, & pertinet ad appetitum, initium vero effectionis, non præelectio est, sed intellectus per Phantasiam; hanc distinctionem assignauit Aristoteles in 2. Phy. dum soli homini conuenire actioné ex eo ostendebat, quia soli homini conuenit præelectio, id ipsum manifestabat in primo contex. 6. metaphy. vbi asserebat effectionum in efficiente principium esse, aut intellectum, aut artem, aut facultatem quandam: actionum vero in agente proheresim, idem enim agibile, & eligibile est. Tertio differunt ratione modi; & ratione conferentium ad operationem; nam actio præsertim fit cùm aliquo concursu perturbationum, & eius præcipua absolutio interna est, & locum habet in ea præelectione, quæ ex consultatione consurgit, ideo dixit Aristoteles in 3. Ethi. cap. 1. actiones hominis tum ab ira, tum à cupiditate ortum ducere; effectio è contra sine perturbationum concursu fit, & extrinsecus instrumento partium corporis perficitur; propterea dixit Aristoteles, bonum Artis in opere confecto considerari, actio-


ci, actionis vero præſertim in prælectione; & in Artibus, qui ſponte peccat, minus errat, in actionibus maxime culpandus eſt, qui peccat ſponte.

Conſtat itaq; ex his primo actionem cum effectione conuenire, quia ambo ad eandem facultatem intellectus pertinent, & in materia non neceſſaria verſantur.

Secundo patet cæteros diminute aſſignare differentiam inter Actionem, & effectionem, cum enim ea ex tribus petenda ſit, ipſi ad unum reſpiciunt.

Ex quibus demum colligimus omnem Artem eſſe rectam rationem effectibilium, quamuis nonnullæ cum actione magis conueniant.

Nonnulla colliguntur ad actionem, & effectionem pertinentia. Cap. III.



EX his, quæ in præcedente capite de actione, & effectione declarata ſunt, uaria, & ea quidem ſatis utilia colligere ualemus; Colligimus primo quòd quamuis actio, & effectio ſua forma diſtinguantur, tamen frequẽter nectũtur, & in eadẽ operatione pertinentia ad utranq; inueniuntur: Veluti dum Faber die feſto opus aliquod arte conficit, quatenus prælegit id efficere die feſto, peccat, & eſt actio uitioſa, quod uitium in ea prælectione poſitum eſt, quæ effectionem operis antecedit, per quam prauam actionem Faber dicetur uir abſolute prauus, ſolum ob recte confectum opus poterit dici bonus Faber; nam actio hominem bonum, uel malum abſolute reddit, effectio vero ſolum bonum, uel malum, cum additione, ut puta bonum, uel malum Fabrum; Inſuper colligere ualemus perperam à plurimis diuidi actionem in immanentem, & tranſeuntem; omnis enim actio immanens eſt, cum eius

finis

finis sit illud bonum, quod in præelectione est positum, quod eligentis est. Ideo recte Aristoteles in 9. metaphy. 16. non actionem, sed operationem diuisit, omnis itaq; actio immanens est; effectio uero, & immanens, & transiens esse potest, immanens, vt saltandi, operatio transiens, vt ædificatio. Tertio colligendum est perperam à plurimis diuidi artes, nonnullas in Theoricas, & Practicas, vt Artem medicam, Astrologiam, & similes; nam Ars, neq; Theorica, neq; Practica vere dici potest, non Theorica, quoniam Theroicæ finis est cognitio veritatis; vniuersa autem consideratio Artis ad effectionem tendit; non Practica, quoniam Praxis est actio, quæ distincta est ab effectione, arti autem sola conuenit effectio, ideo recte Aristoteles in 11. metaphy. Artem medicam absolute effectricem nuncupauit. Verum est dubitatio, de nonnullis, quoniam non constat num actiones, vel potius effectiones dici mereantur, vt puta sensuum operationes. visio, auditio; hæ namq; videntur actiones, & tamen ex præelectione non consurgunt, nec soli homini conueniunt; pariter docere alios, num actio, vel effectio sit, minime constat, ad uaria enim respiciendo modo actio, modo effectio esse videtur; Eadem dubitatio est de actu intelligendi hominis, & Intelligentiarũ, nam actio esse uidetur, cum tamen neq; ex præelectione, neq; ex animi perturbationibus ortum ducat: Ad has difficultates respondens, dico primo, dum Aristoteles actionem ab effectione seiunxit, præsertim ad humanas operationes respexit, & eas in actionem, & effectionem diuisit, & de his veræ sunt differentiæ in præcedentibus explicatæ: addo insuper, quòd loquendo de cæteris ratione maioris, vel minoris conuenientiæ, cum his modo actiones, modo effectiones dici possunt, veluti actus intelligendi actio nuncupatur, quoniam finis est ea ueritas, quæ ita in contemplatione est posita, vt bonum in actione, redigitur itaq; ad actionem, quamuis proprie actio non sit,

pariter loquendo de actu sentiendi, ille potius debet dici actio, quàm effectio; & ratio est, quia finis proprius eius est, vt videamus, vel audiamus, ac sensilia iudicemus, quod iudicium actio est, cum finis, & rectitudo sit posita in ea veritate, quæ illi conuenit; hinc Aristoteles in Proęmio metaphy. dixit sensus ex se esse diligendos, quàmuis ex eis nulla alia vtilitas præter iudicium sensilium consurgeret; Verùm tamen est quod si ad finem remotum respicimus, quatenus conferunt ad salutem corporis, vel ad habitus intellectus, modo aliquo cum effectione operatio eorum valde conuenit: Demum loquendo de actu docendi alios, dico doctrinam varia ratione esse effectionem, & actionem; esse quidem actionem dum consideramus, quod homo præeligit alios instituere, quia id est opus honestum, & qui multos erudiunt dicuntur mirum in modum fulgere, ex aduerso vero est effectio quatenus doctrina est operatio transiens, & eius finis non in ea operatione positus est: At dubitabit aliquis, quia si docere est efficere, sequetur, quod qui docent metaphysicam, vel Naturalem scientiam artifices erunt, eis enim conueniet recta ratio efficiendi, cum docere sit efficere: Respondeo munus docendi ad artem posse redigi, hinc nonnulli dicũtur habere veram docendi artem, alios minimè, quæ ars docendi, est fructus, & signum scientiæ: ita quoque se habet de arte differendi, de arte orandi; nam artes sunt, & artes ingenuæ, euenit tamen, quòd homines respicientes ad vulgares artes eas solas propriè censent artes, quæ in externa materia versantur, cum tamen aliæ multæ his potiores inueniantur.

Colligamus itaq; actionem cum effectione frequenter necti, in quo nexu potest homo recte agere, & perperam efficere, & è contra.

Insuper dicimus hominem per actionem dici absolutè bonum, vel malum, per effectionem vero solum in parte.

Præterea addimus male actionem diuidi in immanétem; & transeuntem.

Pariter non recte artem diuidi, in Theoricam, & Practicam.

Demum constat actum intelligendi, ac sentiendi redigi ad actionem, actum vero docendi alios partim ad actioné partim ad effectionem.

De nonnullis Artium diuisionibus. Cap. IIII.



T humana impotentia, humanaq; necessitas latissima est, ita late patent artes, quæ ei medentur, variæq; a uariis assignantur eius diuisiones, quæ vt clarius pateāt a fine artiū ordiri debemus: Institutæ sunt Artes, vt earum auxilio, homo per naturam impotens, potentior, quoad ei liceret, redderetur: Impotentia conuenit homini, vel ratione animi, vel ratione corporis, nam si conuenit cō posito, necesse est vt ei conueniat præsertim ratione alicuius componentis, hinc ortum ducunt Artes, quæ vel conferunt saluti corporis, ut ars medica, vel saluti, & perfectioni animi, ut Grammatica, Dialectica, & similes: Insuper si conducunt ad animi, vel corporis medelam, aut conducunt, vt sint, & seruentur, vel vt bene sint; si conducunt ad esse oritur Agricultura: Ars obstetricia, si ad bene esse oritur Grammatica, Ars Gymnastica, & similes: Præterea cum conferant ad bene esse, id bonum, vel est uere bonum, ut sanitas ad quam confert Ars medica, & animi perfectio ad quam confert Grammatica, & Dialectica, vel est bonum apparens, non uere bonum, huiusmodi est bonum illud, ad quod paratæ sunt artes ornandi mulieres,

lieres, conficiendi fucum, & cincinnos, insuper commiscendi venena: & similes, quæ vt non ad vere bonum, sed solum ad id, quod bonum apparet referuntur; ita non vere etiam censeri debent artes: Præterea huiusmodi artes, vel proximè respiciunt ad hominis esse, & bene esse, vt ars sutoria, & medica, vel alio mediante, vt ars pastoralis, aucupatoria, & similes; hæc sunt capita potiora, ex quibus satis cumulate colligere valemus numerum, & ordinem artium: Insuper in vniuersa hac artium latitudine nonnullæ inueniuntur, quæ ingeuuæ, liberoque homine dignæ sunt, aliæ sordidæ, nonnullæ inter has mediæ, quales sunt, artes ludicræ, & pueriles, nam longe rectius ita assignandam esse diuisionem censeo, quam tradita fuerit a Possidonio, qui quatuor genera artium dinumerauit, sordidarum, ludicrarum, puerilium, & liberalium, constat enim has in ea tria membra, conuenienter redigi: Præterea in eadem artium latitudine nonnullæ inueniuntur, quæ in imitatione consistunt, ut statuaria, & pictura: aliæ opus conficiunt, vt ars conficiendi instrumenta bellica; alia demum vtitur qualis est militaris, quæ utens dignitate præfertur efficienti: hanc diuisionem Plato in decimo de Republic. assignauit, sed vt cæteras diuisiones prętermittam, quæ multæ sunt, cum Aristoteles in secundo Physico. 25. dico artium nonnullas esse dominas, & Principes, quæ Architectonicæ nuncupantur, alias ei famulari, & inseruire: Artes Principes duæ sunt, vna vtens qualis est Musica, & ars militaris, altera non vtens, sed solum præcipiens, quales sunt ædificiorum Architecti, quibus vtuntur Principes pro recte construendis oppidis, & Palatiis: Neque ex his debemus colligere, quod omnis vtens sit artifex, multi enim vtuntur domibus, indumentis, & similibus, qui tamen artifices non sunt ideo nomine vtentis intelligere debemus artificem præcipuum, cui alia ars famulatur, vt musicus vtitur tibia, & militiæ Princeps

utitur militaribus instrumentis ab aliis artibus, eius famulis constructis, quicunque hoc modo se habent duplici ratione sunt artifices primo, quia præditi sunt habitu eminentioris artis, secundo, quia etiam cognoscunt formam, & pertinentia ad perfectionem instrumenti ab alia arte conficiendi, & ideo ei præcipiunt, vt congruente forma illud efficiant: Duæ itaque sunt artes, quæ Principes, & dominæ nuncupantur, vtens vna, altera non vtens, sed præcipiens; Artes famulæ etiam duæ sunt, vna uersatur in conficienda, uel disponenda materia, ut ars conficiendi calcem, & lateres, insuper ars dolandi ligna; Altera in ea materia formam inducit, ut ædificatores: Dum huiusmodi artes inter se conferuntur, & quæ earum sit præstantior consideratur, proculdubio artes dominæ præsunt ministris, & quamuis illæ solum videantur, efficere opus, quæ suis manibus illud construunt, attamen eminentiori, & præstantiori modo præcipientes id efficere dicuntur quam famulantes, qui enim dirigit, & primo mouet, maxime mouere dicitur. Si fiat deinde comparatio inter utentem, & præcipientem, utens uidetur esse præstantior cum præcipiens dicatur præcipere in gratiam utentis; Demum si artes famulæ inter se comparantur, proculdubio ars illa, quæ formam inducit, & opus perficit præstantior est altera, quoniam materiæ constitutio, & dispositio in formã recipiendam, tanquam in finem dirigitur.

Constat itaq; artes humanæ necessitati respondere, & ex ea sumendum esse numerum, distinctionem, & ordinẽ earum.

Insuper diuisæ sunt artes, in sordidas, ingenuas, & medias.

Præterea diuisæ sunt in eas, quæ imitantur, quæ opus conficiunt, & quę confecto opere utuntur.

Demum diuisæ sunt in Principes, & famulas: Principes in vtentes, & præcipientes, famulæ in disponentes siue conficien-

conficiētes materiam,& inducentes postremā formam: Inter has artes dominæ principatum obtinent, ex dominis vtentes,ex famulis inducentes formam.

Vtrum Ars vtatur consilio.

Cap. V.



RTEM vti consilio, ratione, experientia, auctoritateq; cognoscimus, ratione primum, quoniam frequenter attinentia ad artem satis incerta, & obscura sunt; in obscuris, & dubiis egemus consultatione, & consilio ne erremus,quod patet experientia: vtuntur medici consultatione,& ne dum medici; verum etiam Nautæ, Duces militiæ, & similes, quod demum auctoritate confirmatur; nam Plato in Alcibiade primo inquit Nauis Gubernatorem vti consilio: Aristoteles in 3.Ethi.cap.3.id ipsum affirmat inquiens: Neq; vero in scientiis exquisitis, suaq; vi contentis consultationi locus est, verbi gratia de literis non consultamus, non enim quomodo scribendum sit ambigimus, sed de iis, quæ tametsi opera nostra fiant, non tamen semper eodem modo fiunt,vt de iis,quę ad medicinam,ad artem pecuniæ quærendæ pertinent, & in arte gubernandarum nauium potius, quàm in ratione corporum exercendorum dubitare solemus, quanto minus illa, quàm hæc enucleatis, & exquisitis præceptionibus absoluta est,& præterea item de reliquis, magis autem in artibus,quàm in scientiis consultationi locus est; in eis enim sæpius ambigere solemus,hæc Aristoteles, quibus manifeste affirmat in artibus quoq; locum habere consultationē; Ex aduerso Aristoteles in 2.Phy.contex.86.inquit, absurdum autem est non opinari agere propter finem nisi videant

deant mouens deliberasse,& vti consilio,& tamen ars non vtitur consilio; Confirmatur,quia consilium cum prælectione videtur esse coniunctum, ex consilio enim sequitur prælectio,quæ non in artibus locum habet,sed in solis humanis actionibus, non itaq; videtur artifex vti consilio: Pro resolutione considerandum inueniri hæc tria subordinata,quæstionem,consultationem,& prælectionem, quęstio est communior consultatione, quæstio enim etiam locum habet in rebus æternis, consultatio vero solum est de rebus non necessariis,quæ ab homine fieri possunt, vt colligitur ex 3.& 6. Ethi. Prælectio adhuc minus communis est,quàm consultatio, omnis prælectio supponit consultationem,at non omnis consultatio in his versatur,quæ ad prælectionem pertinent, nisi prælectionis nomen late vsurpetur: Insuper accipiendum est duplex esse genus artium quoddam enim certum,& definitum est,in quo locum non habet consultatio: Aliud est inconstans, incertum, apprime dubium, in quo artifices accurata consultatione vtuntur, & hæc distinctio ex Aristotele colligitur in 3.Ethi.cap.3. Demum addendum censeo Artificem esse duplicem, imperitum vnum, qui magis consultatione eget,peritum alium,qui quamuis nonnunquam, minus tamen consultatione vtitur, quàm imperitus; ex his patet resolutio difficultatis. Quærebatur vtrum Ars utatur consilio,dictum est, artem incertam, & artificem imperitum consilio uti: Ad Aristotelem in 2. Phy. dicentem artificem non uti consultatione. Respondeo sententiam esse ueram de nonnullis,& aliquando non de omnibus,& semper, & id erat satis Aristoteli, institutum enim eius eo in loco erat ostendere non esse necessariam consultationem ad hoc, vt agens operetur propter finem, id manifestauit exemplo artis, quæ quamuis frequenter non vtatur consultatione, tamen semper operatur propter finem; Ad rationem, quia consultatio terminari uidetur ad prælectionem,

ctionem, dico hoc solum esse verum de consultatione quę uersatur in rebus agendis, non de ea, quæ uersatur in rebus efficiendis; Assero tamen in rebus agendis magis proprie habere locum consultationem, quàm in rebus efficiendis.

Patet itaq; in artibus modo aliquo locum habere consultationem.

An Ars sit Præstantior, quàm Natura. Cap. VI.



PVLCHRA & iam diu inter Viros celebres agitata est quæstio: num Ars naturæ, uel natura potius arti dignitate, & præstantia sit præferenda, & iure profecto de hoc ambigitur ambæ enim sunt causæ præclarę, & illustres, ambæ suis operibus eximiam in spectatoribus pariunt admirationem, propterea modo una, modo altera præferenda uidetur: Pro artis præstantia, & dignitate, hæc potiora nobis sese offerunt, & primo quia opera nobis præstantiam opificis patefaciunt, in opera conuersi percipimus ea artis potiora esse, nam ut inquit Aristoteles in 2. Phy. 79. ars multa perficit, quæ per naturam perfici nequeunt, ab arte itaq; prouenit rei perfectio, & consequenter opus eius est præstantius opere naturæ: Insuper ut inquit Aristoteles sub initium suarum meccanicarum quæstionum, arte superamus ea, quibus natura uincimur, sic arte grauissima pondera eleuamus, domamus feroces tauros, & alia huius generis supra humanas uires nobis subiicimus, quæ per naturam efficere non ualemus: Præterea id ipsum ex conditionibus, & modo operandi artis comprobare ualemus: Ars operatur cum cognitione, cum

ratione,


ratione,cum consilio, quibus natura caret; Insuper dum operatur se habet,ut regula,ut dux, ut formatrix naturæ; ueluti per naturam ambulamus; per artem ambulationi, & saltibus regulam,& formam tribuimus, per naturam uocem emittimus, per autem id efficimus cum numeris, & harmonia: Hinc natura tradere dicitur conducentia ad esse; ars uero ad bene esse: Natura antecedere, ars tanquam perfectio subsequi dicitur; Ea autem,quæ sunt generatione postrema,& conferunt ad bene esse, dignitate, & perfectione sunt prima: ut in 8. Phy. monuit Philosophus: Demum præstantiam artis lucide conspicimus dum principium eius,& illud cui conuenit consideramus: Principium artis est intellectus; ars soli homini conuenit, & parti eius præstantissimæ,intellectui uidelicet; anima autem & intellectus supra naturam collocantur, quare ars quoq; supra naturam est eleuata,& dum aliquid natura,& arte efficitur, longe melius efficitur arte,quàm natura, ut Aristoteles in Procemio Rhetoricorum affirmauit;ideo in re ars Dux certior, quàm natura esse dicitur: Hanc sententiam visus est approbasse Plato in 10. de Legibus, vbi artem naturæ esse præferendam manifestauit; Sunt profecto rationes, quæ pro parte artis afferuntur magni ponderis,multiq; momenti,at ex aduerso illæ, quæ pro dignitate naturæ afferi possunt præualere videntur; nam si ad opera conuertimur ars sola producit accidentia,& ne dum sola accidentia,immo potius solas vmbras, solasq; imagines rerum; Natura uero res producit serias, res natura constantes,substantias, uiuentia, & præstantissima corpora,si ad conditiones,& modum operandi respicimus: Natura constans, certa, & firma est,ars summopere fallax; Natura intus operatur,ac rem intus,& extra perficit; Ars solum extrinsecus operatur,& perficit; Natura ex se sufficiens est, antiquior est arte, non emulatur artem, sed è contra ars naturam imitatur; Demum si attinentia ad

princi-

principium consideramus inueniemus naturam proximè Deo famulari; artem homini: Naturam ex se præditam esse virtute, & facultate operandi, vires suas ab arte non recipere, dempta arte sibi esse satis pro suorum operum absolutione, cum è contra ars egeat natura, innitatur ea tanquam fundamento, ab ea vires, & facultatem recipiat; Hinc Simplicius, & Porphyrius iurè meritò partes primas tribuerunt Naturæ, vt patet ex Simplicio in 2. Phy. commẽto 79. & Aristoteles. in 6. Ethi. cap. 2. dixit Naturam, & virtutem esse Duces certiores, ac firmiores arte; Plotinus quoq; Enneade 4. lib. 1. Naturam arti dignitate esse præferendam affirmauit, Insuper Aristoteles in 2. Phy. 79. ostensurus Naturam operari propter finem, id ostendit per artem; cum enim ars operetur propter finem, longe magis natura propter finem operabitur. ideo Porphyrius dicebat argumentum esse à minori ad maius, quod vt vim habeat manifestè supponitur ab Aristotele artem ignobiliorem esse Natura.

Constat itaq; Naturam potiorem esse arte.

Resolutio difficultatis. Cap. VII.



SATIS manifestè ex dictis constare censeo Naturam præstare arti, cum fundamenta ad naturę dignitatem conferentia aduersis fundamentis præualeant: Sed quia rationes pro parte artis adductæ negligendæ non sunt; propterea vt Veritas reddatur clarior, & rationes aduersæ diluantur facilius, præaccipiendum est nomina artis, & naturæ, hoc in loco proprie accipi, vt ars declarata fuit in præcedentibus, & Natura definita fuit ab Aristotele in 2. Physi. Insuper addendum est, artem, & naturam

propriè ſumptã dupliciter conſiderari poſſe, primo quoad ea, quæ vtriuſq; ſunt propria, quatenus vna contradiſtinguitur ab altera, ſecundo in vniuerſa ſua latitudine, includendo in arte etiam ea, quæ ab arte ſupponuntur: His præaſſumptis dico, ſi ambo conſiderantur, quoad ea, quæ vtriuſq; ſunt propria, proculdubio Natura præferenda eſt arti, adeo vt abſolute ſit arte præſtantior: Si vero conſideratur ars quatenus naturam includit, & aliquid vltra ſu peraddit ſecus ſe habet, ita enim ars Naturæ præfertur; quia ſic ars, & Natura ſimul cum ſola natura comparatur: Ex his ad dubia; Ad primum, quia ars perficit Naturam: dico ars perficit, non vt cauſa præcipua, ſed tanquam inſtrumentum eius, vt rectè Simplicius affirmauit: Natura vero perficit opera artis, vt cauſa, Princeps, & domina, quod manifeſtè patet, de agricultura, & arte medica: Dũ additur, quòd ars naturam ſuperat. Reſpondeo non ars ſola ſuperat Naturam, ſed ars naturæ ſuperaddita, & cum ea iuncta: Ad aliud, quia ars operatur cum cognitione, cum ratione, & conſilio: Reſpondeo, vt ars ſe habet ad intellectum, ita modo aliquo Natura ſe habet ad Deum, Ars includit cognitionem, & conſultationem intellectus; Natura autem ſupponit eminentem cognitionem, & conſultationem Dei, propterea dicitur dirigi ab intelligentia non errante, vt inquit Auerroes. 12. metaphy. 18. & Themiſtius in 1. Phy. 81. Dum additur, quòd ars naturam dirigit, confert ad bene eſſe, & eſt generatione poſterior: Reſpondeo artem dirigere naturam, & corrigere in valde paucis, & in rebus minime neceſſariis, non enim ars dirigit naturam in productione Elementorum, in generatione animalium, in formando homine, & ſimilibus præclaris operibus eius, dum abſolute rerum præſtantiam conſideramus, ad maximum, quod poſſunt reſpicere debemus, vt nos docet Ariſtoteles in 1. Cœli: at preſtantiſſimũ opus

naturæ

naturæ eſt longè eminentius præſtantiſſimo opere artis: Præterea non omne poſterius origine eſt perfectione prius: Deus eſt prior intelligentiis, intelligentiæ Cœlo, Cœlum elementis, quæ vt origine ſunt priora, ita ſunt priora perfectione; in mortalibus tamē id eſſe verum affirmamus, quatenus conſideramus id poſterius non ſeorſum ſed unà cum priori ex quo nil aliud ſequitur niſi, quod Natura iuncta cum Arte ſit præſtantior natura ſola. Accedit, quod ea perfectio quam adhibet ars, eſt in accidentibus poſita, & id facit ars, vt miniſtra Naturæ, cum ex ſe ars nil efficere valeat: Ad poſtremam, quia dicebatur artem pertinere ad intellectum; & ſoli homini conuenire, Naturam ſubiici intellectui, & humanæ conditioni: Reſpondeo ars non eſt anima, vel intellectus, qui naturæ præfertur, ſed eſt habitus eius: ſi compararetur intellectus cum natura, profectò intellectus principatum obtineret; at ars eſt diſpoſitio intellectus, quæ ita ad intellectum ſe habet, vt natura ad Deum, & propterea frequenter Natura nuncupatur ars diuina; Diuinam autem Artem eſſe præferendam arti humanæ nemo inficiari debet: Inſuper Ars dicitur Dux certior, quàm Natura, quia tunc comparatur Ars, & Natura ſimul cum ſola natura; & ideo dicebat Ariſtoteles dum aliquid poteſt fieri arte, & natura, rectius fit arte, quàm natura ſolum: Ad confirmationem ex Platone deſumptam, dico locum illum à multis perperam accipi, & male referri, exiſtimantibus Platonem abſolutè tribuere Principatum arti; nam Plato non loquitur tunc de humana arte, ſed de arte Dei, qua Mundus conſtructus, & formatus fuit: Diſputabat tunc Plato aduerſus Empedoclem, Democritum, Leucippum, & alios exiſtimantes Mundum eſſe genitum ex ſola corporum naturali inclinatione per fortuitum concurſum Elementorum, ſiue athomorum; ipſe autem affirmat diuina arte fuiſſe conſtructū?

Diuinam autem artem iure merito cæco casui, corporũq; irrationali inclinationi præferendam censuit, in eadem significatione Aristoteles in 1. metaphy. capi.3. inquit, vt enim entia bene se partim habeant, partim fiant, nec ignẽ fortassis, nec terram, nec aliud huiusmodi quicquam, verisimile est causam esse, nec illos verisimile est arbitrari, nec rursus casui, & fortunæ tantam attribuere rem, probè se habet, quare qui vt in animalibus, ita in natura intellectum esse causam mundi, totiusq; ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit; Ex his itaq; constat solutio rationum pro parte artis. Constat insuper Platonem non secus ac Aristotelem, artem subiecisse Naturæ.

Vtrum Ars valeat efficere substantiam. Cap. VIII.



DICTVM est artem in solis versari accidentibus, & minime posse substantiam producere, & iurè merito id dictum est; Substanciæ enim omnes, quæ gignuntur dicuntur, constare Natura, quæcunq; autem natura constant, per naturam quoq; dicuntur fieri: Confirmatur quoniam Ars est habitus, intellectus est vel relatio, vel qualitas, & accidens, qualitas autem, & accidens non valet generare substantiam; nam ars supponit esse rerum, & solum ei superaddit ordinem, mensuram, & dispositionem: Verum occurrunt dubia nonnulla minime negligenda, videtur sæpe ars substantiam producere, quod patet exemplo agriculturæ, qua gignuntur Plantæ, exemplo artis chimicæ, qua producuntur metalla, exemplo artis conficien-

conficiendi calcem,& gipsum; quæ omnes artes substantiã efficere videntur: Ideo Aristoteles in 2.Phy.24.absolutè quasdam artes materiam efficere affirmauit, materia autem substantia est, valet itaq; ars substantiam efficere, cui difficultati satisfaciens dico artem conficere substantiam dupliciter posse intelligi; vel quod eam efficiat vt causa prima,vel vt instrumentum Naturæ;quod eam efficiat,tan quàm causa prima, & præcipua contingere non potest ob rationes in præcedentibus relatas, solum contingere potest,vt eam efficiat tanquàm instrumentum naturæ, quatenus per artem agentia naturalia cum patientibus iunguntur, quæ mox per naturam producunt substantiam: Hinc ortum ducit Magia naturalis, quæ est himeneus agentiũ, & recipientium per naturam,quæ præsertim naturali philosophiæ subiicitur, non quidem tanquàm finis, sed tanquàm fructus ex eius fertilitate prodiens: Ex his patet solutio ad instantias. At pulchra se nobis offert consideratio, cum eadem, & per artem, & per naturam confici posse nonnunquàm videantur, vt patet de sanitate, de metallis, & similibus; num genita per artem debeant censeri eiusdem speciei cum genitis per naturam? Auerroes in Paraphrasi de Generatione animalium lib.1.cap.1, inquit id contingere non posse, & rationibus nititur id ostendere; propterea damnat eos,qui putant metalla se posse arte conficere, cum solum aliquid extrinsecus simile gignere valeant; nam rerum causæ sunt determinatæ; ideo ex distincta materia, & ab efficiente specie distincto, non potest aliquid idem specie produci: Auerrois sententia partim vera,partim falsa est,vera primo est, quia à causis specie distinctis per se primo non possunt distinctæ rerum species produci: falsa tamen, quia id fieri potest quando ars producit opus,vt instrumentum naturę veluti frequenter euenit; Et loquendo de metallorum

generatione, non censeo impossibile nonnulla eorum ab arte effici posse, non tamen omnia, ex metallis enim quædam sunt minus perfecta, eorum principia magis sunt cõspicua,& posita sunt in facultate hominis,propterea valet artifex vti huiusmodi principiis, & tanquam magis valet efficere metallum aliquod; at loquendo de præstantioribus,& præsertim de argento, & auro, quoniam ob eorum præstantiam principia, & causæ illorum non sunt in facultate, & manibus hominis, propterea non valet artifex ea efficere: possunt itaq; ex substantiis nonnullæ eædem specie arte,& naturæ confici,sed quamuis arte dicantur fieri, omnes tamen fiunt natura,neq; Auerroes hoc negaret, ipse tamen loco relato solum manifestare voluit, per artem tanquam per causam primam, vel saltem per artem vtentem,materia distincta ab ea, qua Natura vtitur, non posse gigni eadem specie. Ad Aristotelem, qui inquit artem efficere materiam: Dicendum est, quod ars efficit materiam,non absolute,sed proximam, distinctam solum qualitate, & accidentibus, & si nonnunquam efficit materiæ substantiam,id facit tanquàm instrumentum Naturæ.

Constat itaq; artem per se solum efficere accidentia,vt vero instrumentum Naturæ etiam efficere substantiam.

Insuper patet artem tanquam instrumentum naturæ posse efficere substantias eiusdem speciei cum his, quæ fiunt per naturam.

Quot

Quot, & quæ sint artes ingenuæ, & quæ viles, & sordidæ. Cap. IX.



VAMVIS artium quædam sint ingenuæ, aliæ sordidæ, nonnullæ mediæ, quales sunt Ludicræ, & pueriles, attamen quia mediæ minoris sunt momenti, & modo aliquo, vel ad ingenuas, vel ad sordidas rediguntur; propterea mediis prætermissis, de ingenuis, & sordidis agam, vt constet quibus nam valeat vir ingenuus, vel cum sui ornamento, uel saltem sine dedecore nauare operam; quod vt exactius fiat, clariusq; elucescat, ab earum definitione exordiendum est. Sordidum opus, & ars doctrinaq; sordida ex sententia Aristotelis in 8. De Repub. ea censeri debet, quæ humanum corpus, vel animam, vel intelligentiam, inutilia ad vsus, actionesq; virtutis reddit reddit: & propterea animum inficere, inquinare, ac illum à potiore hominis fine, auertere dicitur, E contra artes, disciplinæq; ingenuæ illæ sunt, quæ virum decent ingenuum, ac illum, vt talem, vel parant, vel formant, vel illustrant: Vir demum ingenuus ille est, qui Principem in omnibus sibi rectam rationem constituit, quiq; solum inspiciens honestnm, fortunæ, & Naturæ, bonis tanquàm ministris virtutum vtitur; Ex his ortum ducit ingenuarum disciplinarnm in tres gradus diuisio, ac distributio: Earum nanq; nonnullæ animum, vel corpus ad vitam ingenuam disponunt. aliæ formant, ac perficiunt, nonnullæ demum iam formatum decent: Corpus rectè disponunt Artes Gymnasticæ quarum Principes sunt saltatio, & Lucta, vt in 7. De legibus. docuit Plato, ad idem conferunt etiam ludi nonnulli ingenui, inter quos iure merito à Galeno

leno ludus paruæ pilæ commendatur: pariter Aucupiorum, venationumq; formæ nonnullæ inueniuntur, quæ non secus ac Gymnasticæ artes, ad corporum sanitatem congruentem flexionem, leuitatem, ac motum, conducũt: quibus mox vir ingenuus vtitur, cum pro sui, amicorumq; salute, tum præsertim pro salute Patriæ, in propulsandis iniuriis, seruando honesto, repellendisq; suæ Reipub. hostibus: Aliæ artes, ac disciplinæ ingenuæ inueniuntur, quæ animum conuenienter disponunt; & quoniam ea, quæ instrumenti loco nobis natura dedit pro acquirendis, recteq; formandis habitibus animi, sunt ratio, & oratio, iure artes instrumentariæ, quæ animum parant, vel in sola oratione, vel in sola ratione, vel in vtrisq; versantur; hinc ortum ducit Grammatica, Logica, Rhetorica, & Poetica, hæ sunt ingenuarum artium illæ quæ animum vt corpus recte disponunt. Disciplinæ, quæ deinde animum Viri ingenui formant, ac omni ex parte perficiunt; sunt duæ Philosophiæ partes, vna, quæ in actione, altera, quæ in contemplatione versatur, hæc ducit, & dirigit, illa pro iure, & æquitate iuncta disponit; vna eminentiorem animæ partem, mentem scilicet, altera appetitum ei inseruientem, præsertim ornat, & illustrat: Demum disciplinæ, quæ virum ingenuum iam formatum, ac libertate donatum decent, variæ sunt; & hæ sunt illæ, quę vel ex naturali Philosophia, vel ex mathematica, vel ex vtrisq; sua principia proxime recipiunt: Ex Naturali Philosophia pendent artes illæ, quæ ad naturalem magiam rediguntur; è quarum numero sunt, Ars medica, Agricultura, Ars sublimandi, quarum rectus, & conueniens vsus, Virum ingenuum nõ dedecet, & propterea errasse censeo Auerroem, qui artem medicam, mechanicam appellauit; Ex mathematicis longe plures artes proficiscuntur; & iure merito profecto; illæ enim, quæ magis proprie dicuntur artes;

mensura,

menſura, numero, ac congruente partium ratione præditæ ſunt; quæ omnia ex mathematicis depromuntur, adeò vt non iniuria Plato in Philebo, artes omnes in duplicem ordinem redegerit: Nonnullas enim ex muſica, & Arithmetica; alias ex Geometria, & Stereometria, ortum ducere affirmauit; quæ ſententia eatenus vera eſt, quatenus artes conſiderantur, vt præditæ menſura, & numero: Ex mathematicis ortum ducunt Architectura, Ars naualis, Ars militaris, Muſica, Perſpectiua, Coſmographia, & ſimiles. Artium diuinatricium nonnullæ, vt inanes, & ſuperſtitioſæ reiiciendæ ſunt penitus, cum neq; etiam nomine artium dignæ ſint; Aliæ vero firmioribus nixæ principiis, recteq; formatæ virum ingenuum decent, & vel ex mathematicis, vel ex naturali ſcientia ortum ducunt. Ex mathematicis, vt Aſtrologia: ex Naturali ſcientia, vt Phyſionomia; Pingendi autem, ac ſtatuas conficiendi artes, à nonnullis ingenuæ, ab aliis viles, & ſordidæ iudicantur: Veram ego cenſeo ſententiam Ariſtotelis, quod ſint ingenuæ, ac libero homine dignæ, & ratio eſt, quoniam in his fulgent morum imitationes ad viſum pertinentes, mores noſtros aliqua ratione formantes, ac inſuper oportunitatem nobis præbent inquirendi, & contemplandi naturæ præſtantiam in corporum pulchritudine, & menſura fulgentem; Aſſero tamen, virum ingenuum his eatenus ſolum debere operam nauare, quatenus proportiones partium corporis cognoſcat, iudicium de eis ferre valeat; recteq; per operum intuitum, commoueatur, nam in eis efficiendis nimium laborare, occupatumq; eſſe, ſeruile potius, quàm liberale cenſeri debet; quæ artes pingendi, & conficiendi ſtatuas partim ex naturali ſcientia, partim ex mathematicis, principia recipiunt; Mercatura non ingenua, ſed vilis, & ſordida cenſenda eſt; propterea rectè Plato præcipit nulli Magiſtratui licere quæſtum facere. Ex

his

his itaq; patet, quæ diſciplinæ, quo ardire, & qua ratione debeant cenſeri ingenuæ: Ex quibus diſciplinis, illæ quæ parant, & Virum iam libertate ornatum decent, artes profectò ſunt; Illæ vero, quæ Virum ingenuum formant, & conſtituunt, non artes, ſed Philoſophiæ partes cenſeri debent: Inſuper in harum artium diſtributione conſiderandum eſt, quòd quemadmodum ſordidarum artium, quædam magis, aliæ vero minus ſordidæ, ac viles ſunt, ita artium ingenuarum quædam magis, aliæ minus eo cognomine honeſtari merentur, quæ res adeò ex ſe eſt conſpicua, vt illuſtratione non egeat; Demum ex declaratis conſtat artes ingenuas, & libero homine dignas longe eſſe plures illis, quæ vulgo ab aliis enumerantur, & longe ſecus in ordinem eſſe redigendas, ac fiat à multis.

Sacra Theologia eſt habitus demiſſus ab alto, eſt regula, & ſplendor cæterorum habituum, & à Sancta Romana Eccleſia piè, & rectè eſt explicata, cui ſoli Credo, conſtanterq; adhereo, & ſi quid dixi quod cum ea non conſentiat, eſt error humanæ ſapientiæ ſuperna luminæ deſtitutæ.

F I N I S.






M. ANTONII TRITONII VTINENSIS
MYTHOLOGIA
in qua hæc continentur.

DISPVTATIO de fabula, & fabulari sermone.

FABVLOSA EXEMPLA ad virtutum & vitiorum seriem redacta, ex Ouidiana Metamorphosi breuiter selecta.

EPITOME in Ouidij Metamorph. libros, in qua singulæ fabulæ ita breuiter, & ordinatè suis in locis explicantur, ut à quouis facilè intelligi possint.

AD NOBILISS. ET ILLVSTR. VIRVM
AEMYLIVM MALVETIVM PATRITIVM BONON.






COELO DEMISSVS AB ALTO.

BONONIÆ,
Ex Officina Alexandri Benacij, & Ioannis Rubei sociorum. MDLX.

AEMYLIO MALVETIO PATRITIO BONON. VIRO MAXIME' ILLVSTRI

M. Antonius Tritonius S. P. D.





V'M DIEBVS ſuperioribus nobiliſſime uir tecum eſſem multis de rebus collocutus, tuam ſummam humanitatem, maximam uirtutem, & incredibilem prudentiam, quam antea multorum, & grauiſſimorum uirorum teſtimonio cognitam habueram, ex tuo ſermone facilè ego met perſpexi. qua ex re incredibilem cepi uoluptatem, tùm quia nihil mihi gratius poterat unquam accidere, quàm ut præſens tecum colloquendo eam cognoſcerem, tùm quia me à te non ſolùm in fidem tuam receptum fuiſſe, ſed etiam magnopere diligi ita uidi, ut ea quæ oculis cernuntur. quare me nõ ſolùm tui ob ſingularem uirtutem ſtudioſiſſimum, ſed etiam tibi propter incredibilem humanitatem deuinctiſſimũ eſſe uelim ſcias. De tua uerò præſtanti uirtute

cum mecum cogito, cogito autem ſæpe pro mea ſumma erga te obſeruantia, non equidem miror te talem extitiſſe, cum in ſumma nobilitate ex Illuſtri familia natus ſis, unde quamplurimi tum peritia rei militaris & armis, tum omni publicæ adminiſtrationis genere inſignes uiri prodierunt, quos ne longior ſim, in præſentia reticebo. Ad ſummam uero nobilitatem, & gloriam tuorum maiorum, & ſi nihil addi poſſe uidebatur, in tanto præſertim ſplendore, ac tantis fortunæ bonis, quæ ſemper fuerunt cum maxima illorum uirtute coniuncta, tu proprio ingenio, & induſtria tam multa decora, & ornamenta addidiſti, ut maior accedere iam cumulus uix poſſit. Tu enim uirtutis igniculos tibi ab initio a natura in animo inſitos excitans omnes diſciplinas, quæ ſunt uiro nobili dignę, maximeq; ad communem tuendam ſocietatem neceſſariæ, aptæ denique ad gerendas res, & immortalem gloriam, quæ ex præclaris actionibus, & beneficijs in homines collatis oritur, comparandam percepiſti, cuiuſmodi ſunt recta latinè, & purè loquendi ratio, hiſtoriæ, antiquitatum, & coſmographiæ cognitio, in quibus adeo excellis, ut nemo ſit, qui aptius, grauius, & ornatius loquendo homines in ſuam ſententiam trahere facilius poſſit; nemo antiquorum res geſtas, leges, inſti

tuta, & monumenta magis in promptu habeat; nemo denique prouinciarum, populorum, urbium, marium, fluuiorum, montium, locorumq; omnium nomina, situs, naturam, & consuetudines melius cognoscat, atque ita es in omni doctrinæ genere uersatus, ut quæcunque ad uerum Dei Opt. Max. cultum, & religionem, quæ ad arcana naturæ perscrutanda, quæcunq; postremò ad rectè mores conformandos, ad præclarè uitam instituendam, & ad ciuitates & populos gubernandos pertinent, tibi optimè cognita & perspecta sint. Addo etiam militaris artis disciplinam, ut equitandi, & decertandi peritiam, quibus in rebus tantum uiribus, & ingenio uales, ut non minus fortissimus miles & dux, quàm nobilissimus, & optimus ciuis dici possis. Accedit ad istam fortitudinem, atque incredibilem animi tui magnitudinem summa in omnes benignitas, hospitalitas, ac liberalitas, quæ quidem omnia non priuatis tantùm uiris, sed maximis etiam Regibus, & Principibus ita nota sunt, ut eos tibi perpetuo amicitiæ uinculo deuinxeris, atq; ab ijs non quidem impetraris, sed sponte quamplurima ornamenta, & priuilegia tibi tradita retuleris, quæ cæteris tuæ domus antiquissimis addita Maluetiorum familiam longè Illustriorem reddunt. Ac sanè posteri tui omnes

præter cæteras maiorũ suorum imagines tuam etiam habebunt, quam tibi tot familiæ ornamenta accepta referentes intueantur, admirenturq;. nam quemadmodum uituperandi sunt illi, qui socordia, & ignauia suorum uirtuti, ac nobilitati non parùm detrahunt, sic illi maximè laudandi, qui eam tuentur, multò autem magis qui non illam tuentur solùm, sed etiam augent. Vt autē redeam ad id, de quo prius agebamus, inter alias disciplinas, quibus ingenium exercere soleres tuum, multum etiam te poetica delectatum esse, & adhuc mirum in modum delectari cognoui, nec ea quidem ratione ipsam sectari, qua hoc tempore maxima hominum pars uulgò solet, qui tantum abest, ut poetices præstantiam & uim intelligant, ut illa ad iocularia tantùm quædam, & leuia abutantur. Diuina profectò res est poetica, & qua nihil utilius, nihil præstantius sit. Sola enim efficit, ut ab ineunte ætate ad rectam uiuendi rationem instituamur, sola ueluti quædam excellens philosophia animos nostros ab omnibus sceleribus expurgatos ad altiora erigit, sola per imitationem humanos affectus ad mediocritatem redigit, in qua uirtus consistit; sola denique tanquam pulcherrimum politices instrumentum nihil aliud sibi habet propositum, quàm ut probum, ac legibus obtempe-

rantem uirum efficiat, dignumq́; quem in hac communi hominum societate maximè omnes boni admirentur. Hinc ueteres poeticen tanti fecisse non ignoramus, ut eos, qui ipsi essent deditι, diuino afflatu correptos, uirtutum omnium parentes, Deorum immortalium interpretes, ac filios interdum appellarent. Hinc etiam olim legumlatores illi, qui præclaris & optimis legibus suas instituere ciuitates conabantur, liberos in poetica primum erudiendos curabant, non mehercle fictæ uoluptatis, quam nostrates sequuntur, sed ueræ uirtutis gratia. Multi autem diuina hæc poetices arcana minimè intelligentes, cùm eius omnem uim in uersibus texendis, qui animos audientium uel numero, & sono, uel rebus ipsis leuibus, de quibus agebant, oblectarent, positam esse crederent, eam ad iocos tantum, & festiuitatem sermonis retulerunt, quæ cùm postea a seuerioribus legerentur uiris, non immeritò contemni cepit, quare nostra, ac patrum nostrorum memoria ferè ab omnibus spreta, & contempta iacuit, adeò ut quicunque poetas legeret, parum grauis & seuerus iudicaretur. Tu uerò diuersa penitus ratione cùm intelligeres quē usum humanæ uitæ afferret poesis, tam uberes ex ipsa fructus percepisti, ut cùm numeris animi nostri & afficiantur, & inflectantur in omnem

partem,

partem, tu illius suauitate ductus mores ad omnem humanitatem, & grauitatem conformaris. Atque hac ego in primis causa adductus, cum nulla alia re commodius in præsentia meam erga te fidem, & beneuolentiam testatam relinquere possem, uolui librum hunc ad te mittere, quo ueteris illius fabularis historiæ cognitio cõtinetur, quæ totius antiquæ poeseos, & magna ex parte moralis, & naturalis philosophiæ firmissimum est fundamentum. Vetus enim ante Aristotelẽ fuit cõsuetudo scientiarum arcana fabularum inuolucris contegere, quæ omnia si quis ignoret, fieri non potest, ut antiquos intelligat poetas, & poemata ipse conscribat, aut graues ueterum philosophorum, Platonicorum præsertim sensus perscrutari aliquãdo possit, quamuis ipse etiam Aristoteles fabulosam historiam in medium nonnunquam attulerit. Sed de tota hac re postea, ubi de fabula disputabitur, copiosius agemus. Iam uerò cum inter antiquos omnes Ouidius in hac fabulari cognitione tradenda diligentissimus, atque excellentissimus fuerit, cùmq; animaduerterem illum præter poeticam inuentionem immutare etiam popularem sermonem in fabularem, atque ita poeticum efficere, unde exempla omnia eruuntur, quæ sunt probationes tum poetæ, tum oratoris commu-

nes,

nes, neque enim licet poetæ historico uti exemplo, quemadmodum neque oratori poetico; dedi operam, ut ex illius xv. Metamorph. libris fabulosa breuiter colligerem exempla, atque ita in communes quosdam locos redigerem, ut in scribendis carminibus ad omnia fere possint adaptari. nam si quando de aliquo inciderit sermo, in quo sit de auaritiæ, crudelitatis, pietatis, iustitiæ, atque aliarum uirtutum, & uitiorum generibus disserendum, poterit unusquisque popularis conceptus formam in poeticum per has fabulas commutare. quæ ut facilius perspici possint, uolui omnes Metamorph. libros soluta, & breui oratione, quo ordine ab auctore compositi sunt, exprimere singulas breuiter adnotando, & diuidendo fabulas. nec est, quod sibi quisquam persuadeat posse aliter boni, ac perfecti poetæ laudem, & gloriam comparare, neque enim in scribēdis uersiculis poetarum ars, ut ante etiam dixi, consistit; sed in apte fabula constituenda, si præsertim longa poesis contexatur, atque in humanis actionibus apte exprimendis. Hæc uolui dixisse, non quod ea tibi ignota esse iudicarem, sed ut alij, qui nostram hanc epistolam legerint, intelligant quam grauis, quam utilis & necessaria sit tota hæc fabularis historiæ cognitio. Tu profecto Illustris uir meam hanc Mythologiam


thologiam tanquam perpetuum mei erga te amoris,& obſeruantiæ teſtimonium accipias ue lim. nihil enim mihi antiquius, aut iucundius accidere unquam poteſt,quàm ut intelligas,neminem eſſe, qui te magis obſeruet, & qui à te amari uehementius cupiat,quàm ego. alterum quàm uerum ſit, mihi ipſe ſum teſtis; alterum autem ſi meis uirtutibus, quas ſentio quàm ſint exiguæ,ac penitus nullæ, obtinere minimè potero;in ſpem tamen uenio,me id tua incredibili humanitate quam facillimè conſecuturum. Atque ut ingenuè fatear, cupio hac in re paulo ambitioſior uideri;cùm mea omnis ratio,et con ſilium eò ſpectet, ut tuæ inſeruiam uoluntati, meamq; erga te fidem, & animi propenſionem teſtatam apud omnes relinquam. Sentio enim quanta ſit uirtus tua, atque optimè intelligo, quantopere te colere, & obſeruare omnes debeant. Nec eſt iam ullus,qui ignoret, eam eſſe animi tui magnitudinem,eam morum integritatem,eam ſapientiam,ut te uel etiam maximi Reges, & Principes uehemẽter diligant & ament. Demonſtrauit id ſæpius,& argumentis minimè obſcuris ſignificauit SIGISMVNDVS AVGVSTVS Poloniæ Rex præclarũ uirtutis, probitatis,& iuſtitiæ exẽplar, qui nullũ erga te grati, & beneuoli animi officium prætermiſit, teq;

non

non modo libentiſſime ad ſe proficiſcentem in ſua regna excepit, ſed quæcunque ab optimo, magnanimo, potentiſſimo, ac liberaliſſimo Rege in nobilem, fortem, atque Illuſtrem uirum conferri poterant, ea omnia in te contulerit ornamenta. Id etiam ſuperioribus annis comprobauit FERDINANDVS Opt. & Max. Imp. illiusq; filij, ac cæteri Principes uiri, qui te ob maximam probitatem, grauitatem, prudentiam, humanitatemq; tuam tanta ſunt beneuolentia præſentem complexi, ut nullum ſit ornamenti, nullum honoris genus, quo non ab illis fueris affectus. Quare te meritò Bononienſes ciues tui tanti faciunt, ut omnes ſummà te beneuolentia proſequantur, omnes deniq; tuam uirtutem ſuſpiciant, & admirentur. Idq; etiam fuit in cauſa, ut libellum hunc in præſentia ad te miſerim, tuoq; nomine inſignitum in publicum prodire uoluerim. Ad quod ſanè faciendum cùm iudicium hominum extimeſcerem, FRANCISCVS Robortellus Vtinenſis ciuis meus uir in omni ſcientiarum genere præſtātiſſimus, meiq; amantiſſimus hortari me nunquam deſtitit, tum ut mea hac Mythologia publicæ conſulerem utilitati, tùm ut meam præclaram erga te uoluntatem, quæ mihi eſt cum illo communis, aliqua ex parte declararem. Reliquum eſt igitur, ut te
orem,

orem, atque obsecrem, ut neminem esse putes, qui te magis ex animo diligat, & obseruet, quàm ego, meumq; hoc munus, quod ea saltem de causa tibi non ingratum esse debebit, quod beneuolo datur animo, ita libenter accipias, ut intelligam gratam tibi fuisse meam erga te amoris, & obseruantiæ testificationem. Vale.

Bononia. Idib. Aprilis. M D L X.



M. ANTONII TRITONII VTINENSIS

De Fabula, & Fabulari sermone Disputatio.



E FABVLA, *& omni fabularũ genere, quæ tùm oratoribus, tùm poetis inseruiunt, dicturi ab ipsius notatione, sicuti par est, incipiemus. Fabulam à fando dictam testatur M. Varro lib. v. de ling. latina. quemadmodum et græci dixerunt* μῦθον ἀπὸ τοῦ μυθεῖν, *quod loqui significat. Fabulam autem à falso appellatam innuere uidetur Macrobius lib. primo de som. Scipionis, ubi inquit; Fabulæ, quarum nomen indicat falsi professionem, aut tantùm conciliandæ auribus uoluptatis, aut adhortationis quoq; in bonam frugem gratia repertæ sunt. Fabularum autem uaria sunt genera apud antiquos, multisq; modis dicitur hoc nomen. Marsilius Ficinus uir acri ingenio, summaq; doctrina prædi-*

ſtus in argumento lib. x. Platonis de Rep. inquit hiſtoriam dici poſſe fabulam, quoties ultra res geſtas auguſtiorem habet allegoriam. quamobrẽ Olympiodorus quoq; ait Platonem hiſtorias, & rationes ſæpe fabulas appellaſſe. ſic Ficinus. Hiſtoriæ autem, quæ ultra res geſtas auguſtiorem, ut ille inquit, habent allegoriam, ſunt ueluti illæ iudicio meo, quæ de Theſeo, de Hercule, ac de aliis præſtantiſsimis uiris ueteres ſcripſerunt, quorum cùm maxima eſſent, ac præclara facinora, fabuloſis etiam figmentis augere illa conati ſunt. ut quæ de deſcenſu ad inferos, de cerbari nece, de tot, tantisq; monſtris ſuperatis ubiq; legimus. Et hiſtoriæ iſtæ fabulares ita erant in hominum opinione confirmatæ, ut ab omnibus tanquam ueræ crederentur. Hinc Iſocrates in prima oratione πρὸς δημόνικον *ſub finem, ubi de Hercule, & Tantalo loquitur hæc habet uerba.* ζεὺς γὰρ ἡρακλέα, καὶ τάνταλον γεννήσας, ὡς οἱ μῦθοι λέγουσι, καὶ πάντες πιστεύουσι, τὸν μὲν διὰ τὴν ἀρετὴν ἀθάνατον ἐποίησε, τὸν δὲ διὰ τὴν κακίαν ταῖς μεγίσταις τιμωρίαις ἐκόλασεν. *Iupiter igitur Herculis et Tantali pater ut fabulæ dicunt, et credunt omnes, illum quidem propter uirtutem immortalem fecit,*

hunc

,, *hunc uerò propter improbitatem maximis suppliciis affecit. perpendo illa uerba, ut fabulæ dicunt, & credunt omnes; ijs enim uerum esse quod dixi facilè intelligi potest. Hoc genere continentur omnes illæ historiæ, quæ in fabulas abierunt, quales recenset Diodorus Siculus libro primo. Dicitur præterea fabula id, quod idem apud omnes decantatur, & in omnium ore uersatur, ut sua laudare, aliena contemnere, et huiusmodi alia, quæ in omnium consuetudine uersantur. rem ita se habere demonstrat Plinius lib. xiiii.cap. vi. ubi*
,, *de uinis pretiosis. nec ignoro, inquit, multa præ-*
,, *termissa plerosq; existimaturos, quando suum cui-*
,, *que placet, & quocunq; eatur, fabula eadem reperiatur. Hinc fabulam fieri aliquem dicimus, cùm à cæteris illuditur. Horatius.*

Ne uulgi fabula fiã. Sic Tibullus lib.i. eleg.iiii.

Parce puer quæso, ne turbis fabula fiam,
Cùm mea ridebunt uana magisteria.

Idem lib. ii. Eleg. iii.

Fabula nunc ille est, sed cui sua cura puella;
Fabula sit mauult, quàm sine amore Deus.

Tertium genus fabularum fuit à Philosophis ex-

cogitatum, quales hæ sunt, quæ metamorphosin uariam continent, de quibus postea copiosius agemus. Iam uerò ut ad id, quod tractaturi sumus, propius accedamus, sciendum est, fabulam à ueteribus quarto modo, & propriè appellatam fuisse σύστασιν τῶν πραγμάτων à poeta ex probabili factam quæ in aliqua poesi continetur, & hæc integra est quædam actio, quam sibi proponentes poetæ uarijs, & aptè rei ipsi cohærentibus episodijs exornant. quemadmodum Homerus in Iliade, & odyssea, Vergilius in Aeneide eleganter fecit. de hac fabula sic Arist. in lib. de poetica. ἔστι δὲ τῆς μὲν πράξεως ὁ μῦθος μίμησις. λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον, τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων: fabula actionis est imitatio; dico enim fabulam constitutionem rerum. In hac duo sunt potißimùm, quæ delectant auditores, περιπέτεια, & ἀναγνώρισις. peripetia dicitur quoties fit mutatio felicitatis in infelicitatem, uel infelicitatis in felicitatem, quorum alterum tragœdiæ, alterum comœdiæ proprium est. ἀναγνώρισις autem est agnitio quædam alicuius rei in tragœdia, uel in comœdia, quam prius ignorabamus. Sed de his plura uide apud Arist. in lib. de poet. & in commentarijs,

rijs, quos in eum librum edidit Franciſcus Robor-
tellus. Hoc genus fabularũ dramata ueteres appel
lare ſolent ἀπὸ τοῦ δρᾷν. *Donatus quidem inter-*
„ *pres Terentij de hoc fabularũ genere ſic ait; ſicut*
„ *apud græcos* δρᾶμα, *ſic apud latinos generaliter*
„ *fabula dicitur, cuius ſpecies ſunt tragœdia, comœ-*
„ *dia, togata, tabernaria, prætextata, crepidata,*
„ *attellana,* μικτὸς, *rhyntonica. Hinc dare fabulas*
antiqui proferebant, & ut idem obſeruat Dona-
tus, facere fabulas. rectè profectò, nam poetæ
ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, *id eſt à faciendo dicti ſunt. Hactenus*
unde fabula dicta ſit, quot modis dicatur, et quot
ſint genera ipſius diximus. Nunc autem antequam
cætera fabularũ genera perquiramus, ac de ſingu-
lis originem uniuſcuiuſq; inueſtigantes pertracte- "
mus, uidendum eſt, quomodo non nulli fabulam "
definierint. Author ad Herennium lib. primo,
& Cicero itidem lib. primo de inuentione ſic eam
„ *definit. Fabula eſt, quæ neq; ueras, neq; ueriſimi*
„ *les continet res. Aphtonius autem ſub initio ſuo-*
„ *rũ* προγυμνασμάτων *ſic;* ἔστι δὲ μῦθος λόγος ψευδὴς εἰκονίζων
„ ἀλήθειαν. *Eſt autem fabula ſermo falſus ueritatem*
effingens. à quo fortaſſe uidebitur alicui diſſenti-

re Ciceronis definitio. ille enim fabulã esse inquit, quæ neq; uera, neq; uerisimilia continet, hic autem sermonem esse, falsum quidem, sed ueritatem tamen effingentem. Nihil autem, si rectè consideremus, differunt inter se allatæ à nobis definitiones. dum enim ipsam tantùm fabulam inspicimus, uerum est illam neq; res ueras, neq; uerisimiles continere. iam uerò dum allegoriam, idq; omne, quod sub ea uelu ti quibusdam inuolucris tegitur, accuratè perpendimus, quãdam illa effingi, ac demonstrari ueritatẽ facilè cernimus. Vnde Horatius quoq; uerisimilẽ aliqua ex parte fabulam esse præcipit inquiens.

Ficta uoluptatis causa sint proxima ueris;
Nec quodcunq; uolet poscat sibi fabula credi.

» Et Arist. in poet. οὐ τὸ τὰ γινόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ
» ἔργον ἐστὶν, ἀλλ᾽ οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ τὸ
» ἀναγκαῖον. quamuis hoc de quarto illo fabularum genere, quod integram actionem continet, intelligendum sit. Macrobius autem sic inquit, In quibus-
» dam enim & argumentum ex ficto locatur, & per
» mendacia ipse relationis ordo contexitur; ut sunt
» illæ Aesopiæ fabulæ elegantia fictionis illustres.
» at in aliis argumentum quidem fundatur ueri solidi

tate, ſed hæc ipſa ueritas per quædam compoſita, & ficta profertur, & hæc iam uocatur narratio fabuloſa, non fabula. ut cerimoniarum ſacra Heſiodi, & Orphei, quæ de Deorum progenie, actuue narrantur, ut miſtica Pythagoreorum ſenſa referunt. Sed de his hactenus. De fabularum origine uix certa ratio afferri poteſt, nam Aphtonius à poetis originem habuiſſe fabulam ſcribit ſic inquiens, ὁ μῦθος ποιητῶν μὲν προῆλθεν. Strabo autem lib. primo non poetas modò, ſed etiam legũlatores in diuerſis ciuitatibus lõgè prius fabulas effinxiſſe teſtatur, necnon, quod etiam ſcribit Plutarchus in libro de audienda poetica, ut hominum multitudinem ad uirtutem fabulis allicerent, & ipſos inſtituerent. Quare quemadmodum illæ paulisper ortæ ſint, atq; à Philoſophis ad poetas deuenerint, operæpretium eſſe arbitror ut uideamus. Sciendi cupiditatem omnibus hominibus inſitam eſſe non immeritò à maioribus traditum fuit, nemo eſt enim qui cognitionis deſiderio non ducatur, ac quodãmodo uehemẽtius ad diſcendum ſemper aliquid impellatur. Hinc Ariſt. in poet. αἴτιον δὲ καὶ τούτου, inquit, ὅτι μανθάνειν οὐ μόνον τοῖς φιλοσόφοις ἥδιστον, ἀλλὰ καὶ

τοῖς ἄλλοις ὁμοίως. Illi igitur, qui docere alios uolebant, ſcientes omnia, quæ ab hominibus cognoſci, ac percipi poſſunt, aut in contemplatione, aut in actione conſiſtere, quædam fabellarum excogitarunt figmenta, quibus & ad agendum, & ad contemplandum impelleremur. cùm autem contemplatio circa diuina, & naturalia, actio circa moralem, œconomicam, & politicam ſcientiam uerſetur, totidem ēt fabularum genera emanarunt, quot ſunt philoſophiæ partes. Aliæ ſiquidem fabulæ ad diuina & naturalia cognoſcenda nobis inſeruiunt, aliæ ad rectè agendum homines informant. Primi illius generis exemplum eſto illa Saturni, Cœli, & Iunonis fabula, quam eleganter explicat Cicero lib. ii. de nat. deorum; & aliæ quas apud Platonem legimus; omnes deniq; illæ, quas de Dijs ſtoici olim effinxere. quarum poſtea multi interpretes fuerunt, & adhuc noſtra ætate ſunt non nulli, qui ſi reconditam quandam fabellam theologicè, phyſiceq; fuerint ſubtilius interpretati, ſe magnos uiros eſſe arbitrantur. huiuſcemodi homines ridentur apud M. Tullium lib. ii. de nat. deorum; ubi hæc fermè ſunt uerba. Chryſippus, qui ſtoicorum

„ stoicorũ somniorũ uaferrimus fuit interpers, ma
„ gnã turbã congregat ignotorum deorum. in secũdo
„ autem libro uult Orphei, Musæi, Hesiodi, Home
„ riq; testimonio fabulas accõmodare ad ea, quæ ipse
„ primo lib. de dijs immortalibus dixerit, ut etiã ue
„ terrimi poetæ, qui hæc ne suspicati quidẽ sunt, stoi
„ ci fuisse uideantur. quem Diogenes babylonius con
„ secutus in eo lib. qui inscribitur de Minerua, par
„ tum Iouis, ortumq; uirginis ad philosophiam tradu
„ cens disiungit à fabula. Sed uix numerari possunt ea, quæ de dijs à ueteribus efficta sunt, quorũ alia à Magis, alia ab ægyptijs, Africanis, atq; alijs græcis inuenta fuisse testatur Phornutus in eo libello, quẽ de natura Deorũ conscripsit. Plato, ut dixi, multa de Dijs effinxit, unde Ammonius in porphyriana introductione illũ philosophorum homerum appellat: ita tamẽ effinxit, ut omnia diuina quadã ratione constare uideantur. Homeri sequẽs uestigia, qui scitè admodùm & eleganter multas scripsit fabulas, ut illã de Ioue cathenis aureis Iunonẽ suspendente, nec non de Thetide, ac alijs huiuscemodi sexcẽtis. Verùm apud Platonem Socrates lib. x. de legibus reprehendens poetas turpia

de Dijs fingentes, ne Homero quidem suo parcit. Qui autem de Deorum fabulis physicā rationem reddiderint, & uocabulorum, cur quicq; ita appellatum sit, causas explicarint, multos fuisse non ignoro, ut Zenonē, Cleanthen, Chrysippum, Platonem, Ciceronem, Diodorum Siculum, & alios, inter quos Aratum in Phœnomenis, Macrobiū in Satur. et Palæphatum antiquum scriptorem in lib. de non credendis fabulosis narrationibus non nullas explicare certò scio. nec non Hyginum Augusti libertum in poeticōn astronomicōn libris, itidem Boccacium in lib. de Deorum geneologia. Sic igitur multa de dijs, de anima, de planetis fingentes illud fabularum genus inuenerunt, quæ ad res diuinas, & naturales occultandas plurimum ualent. quæ quidem arcana philosophandi ratio ab illis excogitata est, tùm ut eorum acies, qui ad contemplandum apti erant, fabulosis hisce narrationibus magis allicerentur, tùm ut eorum ingenia, quæ ad id minus erant idonea, huiusmodi scientiam magna perterriti difficultate euitarent. Hunc uerò philosophandi modum Aristoteles postea minimè probans, alium longè præstantiorem inue-

nit,

nit de quo multa profert Simplicius in præfatione prædicamentorum, quæ ad id, de quo tractamus, pertinere uidentur. illius uerba ita sese habent, quæ
» latino sermone proferemus. is nusquam uoluit à
» natura discedere, uerùm quæcunq; naturam exce-
» dunt, per habitum, & naturalem cognitionem cō-
» templatur, quemadmodum & alia ductus ratione
» Plato more pythagoreo naturalia considerat qua-
» tenus diuinis participant rebus, & his, quæ supra
» naturam sunt. uerùm neq; fabulis, neq; ænigma-
» tibus, coniecturis, ac metaphoris implicitis, ut nō
» nulli ante ipsum, usus est; sed loco cuiusuis inuolu-
» ti dicendi generis obscuritatem, seu breuitatem po
» tius maximè laudauit, & probauit. Hinc omnia quæ protulit Aristoteles ita succinctè & breuiter sunt conscripta, ut legentium, uel etiam doctiorum animi sæpius defatigentur. tum sequitur Sim
» plicius. Nam antiquiores maioresq; natu, cùm pu-
» tarent non oportere coriarijs, plebeisq; hominibus
» suam proponere sapientiam, ne illam ob rerum fa-
» cilitatem absq; ullo labore perciperēt, alij fabulis,
» alij coniecturis, non nulli metaphoris, quidam simi-
» litudinibus abditam ueluti sacrarum rerum arcana

 uelaminibus

uelaminibus quibusdam inuoluere uoluerunt. Aristoteles autem obscuritatem magni semper fecit, eaq; fortasse de causa fabulas, suspitionem, coniecturam comparationum, & similitudinem accusat, quòd talia unusquisq; pro suo arbitratu diuerso modo interpretari potest. Quare uidemus Aristotelem in sua philosophia fabulas inserere non solitum esse, quòd si id fecit aliquando, summo cum ingenio, & eleganter fecit; ut in libro de motu, ubi Atlantis fabulam ad naturalem adaptat philosophiam. et in Meteor. ubi de risu Vestæ. Proprijs uerbis Aristoteles, non autem numeris, ut Pythagoras, nec fabulis, ut Plato, philosophatus est. ad poetas enim pertinere illas iudicauit, qui ea, quæ à maioribus suis ficta fuerant, non modò in opinionem receperunt, sed multa etiam minus credibilia fingere non dubitarunt. nam illi, ut inquit Cicero, & ira inflammatos, & libidine furẽtes induxerunt Deos, feceruntq; ut eorum bella, prælia, pugnas, uulnera uideremus, odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamẽtationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, uincula, cum humano genere concubi-

tus, mortalesq́; ex immortali procreatos, humana scilicet omnia ad deos referentes ut idē Cicero ait libro primo tusc. quæst. de inferis autem quot, quātaq́; Dij boni, ficta sunt? apud quos tricipitem illum cerberum, Stygias paludes, ultrices diras, Charontem portitorem, Minoen, & Rhadamanthum iudices, Plutonem regem, cæteraq́; huiusmodi finxerunt, quæ uel ipse poeta Horatius fabulas appellat lib. primo od. iiii.

Iam te premet nox, fabulæq́;, manes.

Quæ tamen omnia non sine certa, & quidem naturali ratione inuenta fuisse credendum est. Iam uero hactenus de fabulis, quæ ad eam philosophiæ partem spectant, quæ in contemplatione cōsistit, dictum est. si quis autem longius scire uoluerit, quibus fabulis repugnet philosophia, & quibus acquiescat, Macrobium legat lib. primo de somnio Scipionis sub initio, ubi hæc copiose tractantur. nunc eas, quæ ad alteram philosophiæ partem attinent, quæ posita est in actione, breuiter perpendamus. Has uel moraliter, uel politice, uel œconomice, totidem enim sunt eius philosophiæ partes, cōsiderari posse diximus. cuius quidem generis sunt

illæ potißimum, quæ Aesopicæ appellantur, elegantia fictionis (ut inquit Macrobius) illustres. de quibus afferam primùm id, quod Aphtonius hoc pacto sub initio scriptum reliquit.

,, καλεῖται δὲ συβαριτικὸς, καὶ κίλιξ, καὶ κύπριος, πρὸς τοὺς εὑρόν
,, τας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα. νικᾷ δὲ μᾶλλον αἰσώπειος λεγόμενος,
,, τῷ τὸν αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους. τοῦ δὲ μύθου
,, ὃ μὲν ἐστι λογικὸν, ὃ δὲ ἠθικὸν, ὃ δὲ μικτὸν. καὶ λογικὸν μὲν, ἐν ᾧ τι
,, ποιῶν ἄνθρωπος πέπλασται. ἠθικὸν δὲ τὸ τῶν ἀλόγων ἦθος ἀπομι
,, μούμενον. μικτὸν δὲ τὸ ἐξ ἀμφοτέρου ἀλόγου, καὶ λογικοῦ.

Fabula, inquit Aphtonius, sybaritica, cilißa, & cypria dicta est, mutatis pro inuentorum uarietate nominibus. obtinuit tamen, ut æsopica potius diceretur, cùm Aesopus omnium optimè fabulas conscripserit. Fabularum aliæ sunt rationales, aliæ mortales, aliæ mixtæ. Rationales sunt, quando fingimus hominem aliquid agentem, morales, quæ irrationalium mores imitantur, mixtæ ex utrisq; rationalibus, & irrationalibus. quam nos diuisionem sequentes dicamus primùm de moralibus, & mixtis fabulis; nam de rationalibus postea dicemus, cùm illæ propius ad id, quod nobis propositum est, accedant. Moralem igitur fabulam intelligimus, quæ non tantùm de ratione carentibus animalibus, sed etiam de plantis, de membris,

de corporibus deniq; omnibus scriptæ sunt. Moralis est fabula quam ex Aesopo affert Aphtonius de formicis, & cicadis, quæ ad hominum mores apte accommodatur. illa enim adolescentes ad labores perferendos incitantur: sic aliæ huiusmodi multæ, è quibus aliquæ possunt accommodari non ad moralem tantùm philosophiam, uerùm etiam ad politicam, & ad œconomicam; & ad œconomicam & politicam simul. Fabula ranarum regem à Ioue petentium pertinet ad politicen, nam quemadmodum ranæ illæ trabe non contentæ alium postulabant regem, serpentemq; postremò nactæ sunt, qui omnes deuorauit; sic ciues illi, qui alicuius principis lenitate, benignitateq; abutuntur, in alicuius tandem deueniunt potestatem, qui meritas de illis pœnas sumat. Fabulæ uerò, quæ ad œconomicam pertinent sexcentæ sunt apud Aesopum, quas consultò prætermittimus, ne exẽplorum multitudine lectores defatigentur. unum tantùm proferam, quod ad moralem philosophiam politicam, & œconomicam simul potest adaptari: Nota est illa Agrippæ Menenij de membris humanis aduersus uentrem discordantibus fabula,

qua

qua plebem cum patribus in gratiam reduxit. nam quemadmodum cætera membra sese habent ad uentrem, sic sensus ad rationem, subditi ad principem, serui ad dominum se se habere dicuntur. patet igitur quomodo fabularum hoc moralium genus ethicè, politicè, & œconomicè interpretari possimus. eadem etiam ratione multæ sunt fabulæ, quæ & si ex naturali philosophia depromptæ uidentur, possunt tamẽ ad moralem etiam conuerti, ut illa apud Platonem in συμποσίῳ *de amore, qui in Iouis horto cæteris discumbentibus Dijs ex Penia, & Poro affluentiæ deo natus fingitur. quod autem de moralibus fabulis dictum est, idem etiam de mixtis intelligi posse facilè perspicimus. utq; ad Aesopicas redeam fabulas, quas nostrorum quidam non sanè recepto in usum nomine, ut inquit Quintilianus, apologationes uocant, quia à græcis, ut patet,* ἀπόλογοι *uocantur, sciendum est illas diuidi posse in tres partes, in ipsam fabulam, id est* μῦθον, ἐπιμύθιον, & προμύθιον, *fabula quæ, & qualis sit, uidimus.* προμύθιον *autem appellatur, quotiescunque admonendi gratia ratio, qua fabula inuenta est, præponitur. exemplum afferemus ex Aphto-*

nio, ubi formicarum, & cicadarum fabellam narrat. ante quam talis est inscriptio. μῦθος ὁ τῶν μυρμήκων, καὶ τῶν τεττίγων, προτρέπων τοὺς νέους εἰς πόνους. id est Fabula formicarum & cicadarum iuniores ad labores adhortans. hoc dicitur προμύθιον, sequitur narratio ipsius fabulæ, tum ἐπιμύθιον hoc modo, οὕτω νεότης πονεῖν οὐκ ἐθέλουσα παρὰ τὸ γῆρας κακοπραγεῖ. id est sic iuuenis laborem subterfugiens senectutem miseram ducit. Hæ quidem fabulæ non sunt poetarum propriæ, nisi illorum fortasse, qui satiricè scribunt. Nam Gellius lib. ii. cap. xxix. refert Q. Ennium apologum illum Aesopi de caßita auicula in satyris scitè admodum & uenustè uersibus quadratis composuiße. quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi & memoria (ut ipse ait) opræpretium est.

Hercle puto hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere poßis.

Qui quidem duo uersus sunt ueluti ἐπιμύθιον totius fabulæ. sed Horatius etiam lib. primo Ep. ad Mecænatem Apologum de uulpe & leone his uerbis eleganter attingit.

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me uestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

huiusmodi fabulæ ad suadendum, & hortandū plurimum ualent, præsertim autem in populari sermone. sic enim Quintil. lib. v. cap. xi. Illæ quoq; fabulæ, quæ etiam si originem non ab Aesopo acceperunt (nam uidetur earum primus author Hesiodus) nomine tamen Aesopi maximè celebrantur, ducere animos solent, præcipuè rusticorum, & imperitorum: qui & simplicius quæ ficta sunt, audiunt, & capti uoluptate facilè ijs quibus delectātur, consentiunt. sed ante Quintilianum etiam Arist. lib. ii. Reh. Gellius autē lib. ii. cap. xxix. de hoc fabularū genere ita scriptū reliquit. Aesopus ille è Phrygia fabulator haud immeritò sapiēs existimatus est, cùm quæ utilia monitu, suasuq; erāt non seuerè, non imperiosè præcepit, & censuit, ut philosophis mos est; sed festiuos, delectabilesq; apologos commentus, res salubriter, ac prospicienter animaduersas in mentes, animosq; hominum cum audiendi quadam illecebra induit. Hactenus ex Aphtonij diuisione de moralibus, mixtisq;

fabulis

fabulis satis diximus. nunc cætera de rationabilibus, uti polliciti sumus, persequamur. Rationalem fabulam dictum est superius illam esse, qua hominem aliquid agentem fingimus. & quoniam hominum actiones aut priuatæ sunt, aut publicæ, sic fabulæ istæ aut polititæ, aut morales, aut œconomicæ, quia aliæ ad publicos, aliæ ad priuatos pertinent, dici possunt. hominem autem agentem fingimus, ut Herculem descendentem ad inferos, tot, tantaq; monstra superantem, Orpheum lyra tygres ac leones lenientem, Amphionem testudinis sono mouentem saxa, cæteraq; huiusmodi, quæ partim ex hominum opinione, partim ex historia mihi uidentur emanasse. Ex hominum opinione, quẽadmodum de Hercule, quem tot facinora perfecisse credebant, atq; etiam in deorum numerum relatum omnes iudicabant. Ex historia autem multa effluxerunt, quæ ita à poetis postea immutata sunt, ut licet è ueris incredibilia facta fuerint, possint tamen ad ueritatem quàm facillimè redigi. quis enim tam ineptus sit, qui non sentiat fieri nullo modo potuisse, ut Orphei lyræ concentu tygres, leonesq; mites redditi fuerint, flumina constiterint,

rint, syluæ, altissimiq; mõtes illum sint insecuti. At si quis diligenter consideret, quid aliud hanc fabulam significare iudicabit, quàm Orpheum summa fuisse probitate, & eloquentia uirum, qua feros, & immanes homines ad humanitatem allicere potuit? id explicat etiã Horatius in poet. ubi inquit,

Syluestres homines sacer, interpresq; deorum
Cædibus, & uictu fædo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.

De centauris fabula ficta est, quòd primi illi populi equos domuerint. Nioben etiam in saxum commutatam dicunt, quòd lapideam imaginem filiorum sepulchro imposuerit, quam Palæphatus lib. primo de fab. narrationibus se ipsum uidisse testatur. apud quem quiuis legere poterit, quemàdmodum historiæ multæ in fabulas fuerint à poetis commutatæ, nulla profectò de causa, nisi ut ijs homines ad uirtutem uehementius impellerent, & à uitijs coercerent. nam illos omnes, qui piè, prudenter, tempe ratè, ac fortiter uixerant, maxima consecutos præmia finxerunt, qui autem crudeliter, temerè, impudenter, & ociosè uitam traduxerunt suam, crudelissimis illos supplicijs affectos esse tradiderunt.

Postremò

Postremò sicuti quispiam, ut inquit Strabo lib. primo, argento circumfundit aurum, sic & poeta ueris contemplationibus fabulas apponit, quibus eloquutionem dulcedine conciliat, & ornatu. Hæc habui, quæ de omni fabularum genere stri-ctim dicerem, nunc quo in genere Ouidij fabulæ constituantur, deinde qua nos adducti ratione illas in quædam exemplorum capita collegerimus, breuiter explicemus. Prius autem refellendi sunt illi, qui fabulas tanquam nullius momenti, & turpitudinem quandam sæpius demonstrantes euitandas putant: fateor enim præstantiorem illum esse philosophandi modum, qui fuit ab Aristotele institutus; sed non propterea uetus fabularum Philosophia contemnenda est. Nam (ut inquit Strabo) fœminarum turbæ, popularibusq; hominibus philosophicæ illæ rationes non ita facilè induci in animum possunt, nec ad religionem, sanctitatem, fidemq; inuitari, sed numinum timore opus est, id autem sine fabularum, ac miraculorum figmentis esse non potest. quæ propterea ab antiquis rerumpub. institutoribus inuenta sunt, quòd ijs uidebant ad ciuilem societatem, uitamq; humanam

haud multo labore poſſe homines incitari. quis præterea non ſentiat multos fabularum iucunditate permoueri, cùm poetàs præclara uirorum facinora fabulis inuoluta enarrantes audiunt? cum tributos à Dijs immortalibus honores, cùm picturas, imagines, aut ſimulacra ſpectant, quæ fabuloſam quandam inſignem exprimunt actionem? quis etiã non à uitijs abhorreat, cùm irrogata à Dijs ſupplicia, minas, pauores, tormenta deniq; peruerſis hominibus audiat? At hæc omnia inquies, falſa ſunt. quid tum? conſiderare nos illa debemus, non quòd uera ſint, ſed quòd tanta ſit Deorum immortalium poteſtas, ut hæc, multoq́; maiora poßint aliquando accidere. quòd ſi nullum putas ex fabulis emolumentum percipi poſſe, at ea ſaltem de cauſa minimè ſpernẽdas arbitreris, quia nobis antiquorum opinionem et conſuetudinem indicant, quæ licet falſa ſit, & nullo modo ſequenda, dulcis tamen eſt, & iucunda cognitu. urgebis adhuc uehementius inquiens multa de Dijs finxiſſe poetas, quæ nullo modo ſint probanda, & non nullos abſurda ſcripſiſſe, quæ hominum mores corrumpere potius, quàm ſanare poßint. ſcripſit Timonachus

chus Medeæ cædem, quæ peremit liberos, Theon Orestis parricidium, Parrhasius simulatam Vlyssis insaniam, et Chærephanes, ut testatur Plutar. in libro de audienda poetica, intemperantiam uerborum, qua mulierculæ adoriuntur maritos. Ad hæc respondemus poetas aut morali, aut physica ratione omnia finxisse; quæ ad Deos pertinent, physicè nimirum ficta sunt. cùm enim de maximis rebus, cuiusmodi sunt naturales & diuinæ, scripturi essent poetæ, ne docendi & delectandi modum, qui illorũ est proprius, ommitterent, subturpicula quædam fingendi licentiã sibi dari uoluerunt. sed hæc de Dijs quæstio nihil ad nos quicquam pertinet, ad ea siquidem tempora deuenimus, quibus ueram Dei opt. max. religionem cognoscentes, non modò quæ à poetis, uerùm etiam quæ ab antiquioribus philosophis theologicè dicta sunt, ridere, ac spernere debemus. ita tamen ea sunt perquirenda, ut antiquum poetarum scribendi modum optimè calleamus, illoq; cùm opus fuerit uti possimus. Turpia uerò quæ moraliter a poetis ficta legimus, ut de fœdo multorum Deorum amore, de furtis, de cædibus, de rapinis, de adulterijs, ac de alijs scele-

ribus morum integritati prodesse potius, quàm obesse mihi semper uisa sunt (quamuis etiam hæ fabulæ non ad moralem, sed ad physicam rationem referri potius debeant) multa siquidē à ueteribus tradita fuerunt, non ut illa sequamur, sed ut omni cura, ingenioq; euitemus. de sophisticis elenchis scripsit Arist. non mehercle ut illis uti debeamus, uerùm ut aduersus sophistas tueri nos, ac defendere possimus. Idem de uirtute tractaturus de uitio prius differit. non alia profectò adductus ratione, quàm ut ex animis nostris maximè contraria propulsare cognoscamus. eodem modo de uenenis medici multa tradiderunt. nā de remedijs uana esset scientia, nisi morbos ipsos cognitos prius & perspectos haberemus. sic etiam poetæ quàmplurima nobis exempla ante oculos proponunt, ut quid nobis euitandum sit perspiciamus. hinc rectè Strabo inquit lib. primo poetæ uirtutem hominis bonò cōiunctā esse, nec poetam bonum esse posse, nisi prius uir bonus existat. Valeant igitur seueri nimiùm isti homines, qui poetarum fabulas contemnentes quod omnibus maximè utile, ac necessariū est tùm ad uitam rectē instituendam, tùm ad poesin conscri

bendam

bendam è medio tollere conantur. nonnullorũ.n. tanta nostra ætate moralitas, et poetarum odium fuit, ut optimum fabularum studiũ penitus negligi uideatur, ac diuinũ hoc Ouidij Metamorphoseon opus, quod scripturis poesin omnino necessarium est, incognitum, et contẽptum iaceat: cùm tamẽ dicendi lepore, miro poetæ artificio, iucundaq; rerum uarietate ab omnibus sit uehemẽter expetẽdũ. Nihil est profectò à latinis dictum, quód non fuerit à græcis antea copiosius, & grauius pertractatum. qui autẽ fabulas diligenter collegerit, doctè, eleganter, ac disposité explicarit, nullus præter Ouidium fuit; qui ex Orpheo, Hesiodo, Homero, cæterisq; uetustissimis poetis tam præclarum, & admirandum opus confecit, ut illo latinæ literæ nõ immeritò possint gloriari. Hinc illud, ne tanto bono careret græcia, Maximus Planudes uir doctissimus, qui Constantinopoli, antequàm ciuitas illa in Turcarum deuenisset potestatem, græcas literas profitebatur, ut suis prodesset, cùm nihil tale apud ipsos extare uideret, ex latino in græcum sermonem conuertit. Quod igitur exteri libenter excipiunt & admirantur, id nos proprium, ac domi nostræ

 natum

natum ſpernemus? Ceſſent iam falſæ hominum opiniones, tollantur errores grauiſſimi, in quibus multi hactenus uerſati ſunt, iamq́; omnes Ouidianas fabulas diligentius conſiderent, ex quibus cùm maximam uoluptatem, tum fructum incredibilem ſunt percepturi. Nam hoc Ouidij Metamorph. opus illa etiam de cauſa maximè laudandũ eſt, quòd eo modo cõſcriptũ uidetur, quo poema illud dictum κύκλος, *à noſtris circulus, confici à ueteribus ſolebat. de quo mentionem facit Ariſt. libro primo poſteriorũ* ἀναλυτικῶν, *et quale fuerit declarat Proclus in libro* περὶ χρηστομαθείας. *ueteres .n. orſi ab antiqua illa rerum confuſione gigantum, et titanum originem, eorumq́; bella deſcripſerunt, ac paulatim deducentes poema omnem Deorum ſobolem, resq́; illorum geſtas uſq; ad Vlyſsis tempora perſecuti ſunt. huiuſmodi ſeriẽ uidetur imitatus Ouidius in his Metamorph. libris, ut rectè annotauit Franciſcus Robortellus ciuis meus in explicatione eorum, quæ ad elegiæ antiquitatem, & artificium ſpectant. Omnes autem fabulæ ab Ouidio aut naturali, aut morali ratione ſunt conſcriptæ, poſſuntq́; uarijs modis ad ſcientiam, & ad rectè*

uiuendi

uiuendi rationem adaptari. nos tamen id minime perquirentes alia de causa nostra hac Mythologia studiosis rem gratam facturos iudicauimus; nam fabulosa quaedam exempla ex ouidiana metamorphosi colligentes, & in nonnulla capita redigentes, non illis modò, qui poetica delectantur, sed alijs etiam, qui grauioribus scientijs inuigilant, summum nos allaturos commodum sumus arbitrati. Quis enim animalium, plantarum, rerumq; omnium naturam perquirens non maxima afficiatur uoluptate, cùm audiat quae de leone, de ceruo, de lupo, de bubone, de ciconia, de cygno, de mustella, de accipitre, de cupressu, de lauro, deq; aliarum rerum natura fabulati sunt poetae? quis libenter nō audiat supplicia, quae de deorum contemptoribus, perfidis, ingratis, furibus, adulteris, auaris, caeterisq; peruersis hominibus fuerunt irrogata, maxima autem praemia, quibus religiosi, iusti, liberales, magnanimi, fortes, temperati, ac liberales uiri affecti sunt? quantum autem philosophis prosint fabulae, nihil est, quod pluribus uerbis demonstremus. satis enim ex ijs, quae dicta sunt, constat fabulam nihil aliud esse, quam ueterem quandam philosophiam.

losophiam. Sed nec illi etiam, qui eloquentiæ studio delectantur, debent fabulas contemnere, nam ad probandum, ad suadendum, & ad auditorij animos demulcendos plurimùm ualent, habentq; mirã in se quandam uenustatem, ut illud apud M. Tullium in or. pro Sextio, cuius supercilio Resp. tanquam Atlante cœlum niti uideretur. in qua etiã oratione sub finem de Hercule fabulam attingit, cuius corpore ambusto uitam eius & uirtutem immortalitas excepisse dicitur. Itidem in or. pro Milone adaptat fabulam illius, qui cùm patris ulciscendi causa matrem necauisset, uariatis hominum sententijs, non solùm humana, sed etiam Deæ sapientissimæ sententia liberatus est. cætera sunt huiusmodi quàm plurima, quæ apud optimos oratores passim leguntur. Vnde antiqui Rhetores fabulas aliquando in oratione adhibendas statuerunt. sic enim inter cæteros Hermogenes inquit lib. ii. περὶ γοργότητος. ἔννοιαι δὲ γλυκεῖαί τε καὶ ἡδονὴν ἔχουσαι, μάλιστα μὲν πᾶσαι αἱ μυθικαί. His autem ommissis id impræsentia affirmare ausim, neminem posse antiquorum poetarum scripta intelligere, aut poeticè quicquam scribere, qui in fabularum cognitione non sit optimè

me uersatus. nam fabulosa oportet ut sint poemata, poetarumq́; sermo uel in hoc potissimum ab oratorio differt, quòd magna ex parte fabulari ratione constitutus est. Poetæ siquidem pro igne Vulcanum, pro uino Bacchum, pro frugibus Cererem dicere consueuerunt, ut Horatius.

Vulcanus ardens urit officinas.

& illud Terentij.

Sine Cerere, & Baccho friget Venus.

nec non Vergilius, Bacchus amat colles.

sic alia ferè omnia fabulosè proferunt. exemplum aliud afferam ex Catullo, qui cùm fratrē suũ mortuum esse significare uellet, sic eleganter dixit.

Nanq́; mei nuper lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.

Quæ cùm ita sint, ac tot, tantaq́; commoda ex fabulis, de quibus longiori oratione disputauimus, oriantur, neminem esse arbitror, qui ad eas percipiē das alacrior, & propensior non sit futurus, nostrumq́; hunc laborem, qualis qualis est, æqui boniq́; consulturus. Præterea, quod maximũ est, duo illa probationum genera exemplum, atq; enthymema, quæ oratorum sunt, de quibus agit Aristote-

les libro.ii. Rh.ubi inquit, εἰσὶ δὲ αἱ κοιναὶ πίστεις, δύο τῷ γένει, παράδειγμα, καὶ ἐνθύμημα *etiam poetæ inseruire. Exemplum autem quod analogiam cum inductione dialetica habere tradit Arist. duplex est, alterum quo res gestas commemoramus, utq; ille ait,* τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα *alterum uerò* τὸ αὐτὸν ποιεῖν. *id est, quod nos fingimus, & est partim* παραβολή, *id est collatio; partim* ἀπόλογος *id est fabula. utrisq; exemplorũ generibus ad probandum utitur orator, sed in primis eo, quod constat rebus gestis; poeta autem fabula tantùm. Sed differt oratoria fabula à poetica, quòd illa ad Aesopicarum libycarumq; similitudinem (hæ enim propriè à ueteribus* ἀπόλογοι *uocantur) ab omnibus pro uniuscuiusq; ingenio fingi potest; hæc oportet, ut rationalis sit, utq; ab antiquioribus ficta est, sic à nobis accipienda. neque enim aut immutare ueteres fabulas, aut effingere ullam licet. Rem autem allatis exemplis ostendo. Horatius libro primo, od.ii. magnam esse hominum audaciam probaturus fabulosis utitur exemplis, hoc est ex fabula desumptis, non ex historia*

Audax Iapeti genus.

Ignem

Ignem fraude mala gentibus intulit. et
Expertus uacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Idem ebrietatis turpitudinem demostrans inquit,
At ne quis modici transiliat munera liberi,
Centaurea monet cum lapithis rixa super mero
Debellata, monet sithonijs non leuis Euhyus.
Et si uno tantum in loco animaduertimus Horatium non fabuloso, sed historico usum exemplo. sic enim ait libro.iii. ode. xxi.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse uirtus.

Alibi autem semper utitur fabulis, quod etiam apud alios poetas obserues, nam Tibullus libro ii. El.iii. omnes amori inseruire probans inquit.

Pauit et Admeti tauros formosus Apollo,
Nec cithara, intonsæ profueruntue comæ.

Vergilius in Buc. rusticam uitã laudans ita dixit
Quẽ fugis ah demens? habitarũt Dij quoq; syluas,
Dardaniusq; Paris. Pallas quas condidit arces
Ipsa colat. nobis placeant ante omnia syluæ.
Sic Ouidius in Elegia, qua Catulli mortem deflet
probans

probans omnes ab importuna morte rapi, huiusmodi nititur exemplis inquiens,

Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid uictas obstupuisse feras? etc.

Eodem modo Propertius libro. ii. probans non esse aspernandam senectutem Tithoni, & Aurorae exemplum affert hoc pacto.

At non Tithoni spernens Aurora cubile
Desertum eoa passa iacere domo est.

Haec qui ignorat nullo unquam modo poterit suauissimum poetarum leporē degustare. Atq; haec hactenus de fabulae notatione, de singulis illius generibus, de definitione, de origine, de uniuscuiusq; fabularum generis diuisione, & usu, ac de fabuloso poetarum sermone dicta sint.

FINIS.